COMMENTARIVS DE VITA ET REBVS GESTIS S. WALPVRGÆ

VIRGINIS, ABBATISSÆ MONASTERII IN HEIDENHEIM, ORDINIS S. BENEDICTI, Diœcesis Eystettensis patronæ.

EX PHILIPPO XXXIX. EPIscopo Eystettensi concinnatus.

ITEM

DE MIRACVLIS EIVSDEM S. VIRginis libri quatuor.

Auctore

WOLFFARDO HASENRIETANO
PRESBYTERO

Omnia nunc primum

In lucem vel omnino, vel integrius edita.

Studio

PETRI STEVARTII LEODII, SS. TH. D. Professoris & Procancellarii Academ. Ingolstadien. Parochi Mauriciani, Canonici Leodien. &c.

Cum notis & notationibus.

INGOLSTADII,
Ex Typographeo Ederiano apud Elisabetham Angermariam viduam.
ANNO M. DC. XVI.

D. Baſilius, Epiſt. I.

Sicut pictores exemplar diligenter aſpiciunt, vt ad eius lineamenta & colores imaginem exprimant: ſic qui virtutum imaginem in ſeipſo exprimere vult, SANCTORVM *vitas, dicta & facta diligenter inſpiciat oportet.*

DIVO WILIBALDO,
S. RICHARDI ANGLORVM REGIS
FILIO, MAGNI BONIFACI MARTYRIS,
MOGVNTINÆ SEDIS I. ARCHIEPISCOPI,
ET GERMANIÆ APOSTOLI, EX SORORE
NEPOTI:

SS. WVNEBALDI ABBATIS, ET WALPVRGÆ VIRG. FRATRI GERMANO,

PRIMO EYSTETTENSIS ECCLESIÆ EPISCOPO, ET PATRONO MVNIFICENTISSIMO.

DEBITÆ VENERATIONIS, ET GRATI
ANIMI ERGO; HOC SVVM QVALE
QVALE STVDIVM DEMISSE
OFFERT.

PETRVS STEVARTIVS LEODIVS, SS. TH.
D. ET PROFESSOR, &c.

L. M.

PETRI STEVARTII
LEODII, SS. THEOL. D. ET PROFESSORIS.
Præfatio ad Lectorem.

HAbes à me, amice Lector, vitam & Miracula S. VValpurgæ Virginis, iam olim quidem literis mandata, sed paucis nota; vel quia typis excusa non exstabant, vel quia integrè non exstabant. Caussæ editionis iustæ suppetunt; ex quibus haud postrema est, quòd eo in loco, in quo D. VValpurga cōdita iacet, & rebus suprà naturam patratis claret, multis annis vixi, & ingentibus beneficiis à Deo, à Cœlitibus, & à Principibus affectus, imò cumulatus fui. Eystadii enim ante XLIV. annos sacerdotio initiatus, mox in Collegio VVillibaldino Philosophiam & Theologiam profiteri cœpi, Regens seu Præses eiusdem Seminarii paulò post cōstitutus, & in numerum Canonicorum S. VVillibaldi coöptatus. Itaq; cū & in Collegio, & in Templo, quorum vtrumque de S. VVillibaldi nomine nomen accepit, fateri cogar, me à S. VVillibaldo

promo-

promotum, honestatũ, & tam ad literarias, quàm ad Ecclesiasticas dignitates euectũ esse; nec quicquam tamẽ occurrat, præter gratissimum animũ, quod meritis tanti patroni reponam; existimaui, si hoc pro gloria S. VValpurgæ sororis facerem, id S. VVillibaldum, tãquam sibi factum interpretaturum, & ceu legitimam solutionem debiti libenter acceptaturum. Si enim amicorum omnia cõmunia sunt, quantò magis fratrum & sororum; præsertim cùm huic ipsi Historiæ, quam nunc publicamus, non pauca de S. VVillibaldo, rebusque ab eo gestis inspergantur.

Deinde cùm post duodecim annos Eystettensi commorationi valedixissem; ita locum mutaui, vt non mutarẽ Diœcesim VVillibaldinã & VValpurginam; quin nec subiectionẽ. Parochia enim Mauriciana, cui ab Anno Redemptoris M. D. LXXXIV. vsq; ad hunc præsentem M. DCXVI. singulari Dei clementiâ & felicib. Ser.morum Bauariæ Ducum auspiciis præsum, ad nullius alterius Præsulis ius & moderamen spectat, quã ad eius, qui S. VVillibaldi thronum tenet. Ingolstadii cum parochi munere, mox Professoris Academici munus mihi delatum est. Postea Procancellarii, vnâ cum Ca-

nonicatu in Cathedrali Ecclesia Eystettensi. Quæ omnia, beneficia S. VVillibaldi, primi Episcopi Eystadiani, & sororis eius S. VValpurgæ interpretor; quorum vt me memorem ostendam, hunc Commentariũ de S. VValpurga euulgatũ volui, bona spe fretus, ipsum S. VVillibaldum, quicquid honoris inde ad Sororem redundabit, id sibi quoque adscripturum, vt antea dicebam, propter arctissimam illam necessitudinem, quæ fratri cum sorore intercedit; meq; saltem aliqua ex parte exsoluturum nexu illo, quo me obstrictum sentiebam; non quod quidquam par acceptis meritis præstiterim, sed quia quod facultatis & virium mearum erat, præstiti. Et notum est, vt Christo Redemptori nostro; sic & Diuis haud displicere etiam duo *minuta*, quamuis minutissima, dummodo non veniant à minuto animo.

Accedit deniq;, quod singulari D. VVillibaldi Præsulis liberalitate factum sit, vt Leodii in meâ patriâ, Templum Parochiale D. VValpurgæ sorori eius, exstruendum, & necessariis rebus instruendum non ita pridem procurarim; idq; in gratiam præcipuè eorũ, qui ab aliis Ecclesiis longè remoti, spirituali subsidio potissimùm egere videbantur:

Inui-

Inuitatus etiam ad hoc, quòd arbitrarer consentaneũ esse, vt D. VValpurgis, quæ celsissimę Leodiẽsis Ciuitatis portæ Diua Tutelaris esset, Æde quoq; sacrâ, cui præsideret, ornaretur. Ad quam, vt verum fatear, non defuêre, qui liberali manu Symbolas suas contribuerunt; quorum munera æquè D. VValpurgæ grata acciderunt, ac illa, quæ olim ad Tabernaculi constructionem Israëlitæ mandato Dei & Moysis contulerunt. Exo. 25.

Vt igitur, quæ & quanta fuerit in hac vitâ, & etiamnum sit in cœlesti beatitudine apud Deum B. VValpurgis, intelligant cùm alii, tum præcipuè Parochiani VValpurgini, hunc Commentarium, qui rerum à Sanctâ illâ Virgine gestarum, & Miraculorum patratorum pellucidum Speculum est, euulgare volui; certâ spe ductus, hinc & pietatem erga Deum, & obseruãtiam erga S. VValpurgam, memorabili accessione auctum iri. Opto, vt quod nullo alio cõsilio à me cœptum est, quàm vt Deus in sanctis suis laudetur ac celebretur, id & ad eiusdẽ Dei honorẽ, & ad Cœlitum, præsertim S. VValpurgis, ac S. VVillibaldi gloriam feliciter cedat. Ingolstadii, ipso die præfati S. VVillibaldi VII. Iul. Anno salutis M. DC. XVI.

PE-



S.WALBVRGA ABATISSA MONASTERI
in heidenheim, Diœcesis Eystetten. Patrona. MDCXVI

PEPLVM VIRGINITATIS,

QVOD

EX VETERI PANATHE-

NÆORVM RELIGIONE MINER-VÆ CONTEXTVM,

Nunc Castißimæ, Sanctißimæq; Virgini

VVALPVRGAE,

Christianæ Palladi,

EISTETENSIS VRBIS TVTELARI PRÆ-sidi dedicatum est.

Virginea sudate manus, & quidquid Athenis
Castum est, dentato conuellat pectine lanam,
Aut amicire colum properet; vel fila supinis
Deducat digitis, & verset turbine fusum;
Et si qua bona Penelope, vel viuit Arachne,
Candidulam vario discernat stamine telam,
Et Phrygiâ distinguat acu doctusq; per omnes,
Areolas pollex; & rasile inambulet aurum;
Et si qui lanam possunt animare colores,
Mæandris niueas scribant errantibus oras;
Grandis rerum ordo, & pulchro dignißima filo
Materies, quam perfidia nulla arguet ætas,
Nata est Mygdonis iam pridem debita Nymphis.
Si potuit Pallas, per tot mendacia vatum,
Per clypeum, pressosq; sua sub caßide crines,
Bellaq; non illis animis, non ore gerenda,
Cecropias lassare nurus, vt nobile lustrum,
Tot soles, iunctaq; suis cum solibus vmbra

Illi sudarent vni, dum carbasus alba
Pingitur, & longo pertexitur ordine grandis
Fabula, & immensum deducitur argumentum
A cerebro Iouis, ad postremas Virginis iras;
Cur non possit idem meliùs WALBVRGA *mereri,*
Quodq; in WALBVRGA *suspexit virgine pectus*
Canus Atlas, qui dum tortum conuoluit Olympum,
Iurauit nullam stellato ex agmine flammam
Virgineo sese contendere posse nitori;
Quod si adeò solis assueuit Palladis armis
Lyda acus, & tantùm didicit formare Mineruam,
Nomina mutemus, quam Græcia Pallada dixit,
Iam nobis WALBVRGIS *erit; nec spernimus arma,*
Nec clypeos; & nostra habuit sua prælia Virgo,
Et nulli meliùs cassis debetur, & Hasta,
Quam qui Virgineâ sudans luctatur arenâ.
Iamq; adeò doctum dum carpit dextra laborem,
Currite felici de glomere currite fila.

Non Cerebri rimas, obstetricante securi,
Prægnantemq; Iouem, vel quam voluere Poëtæ
Quæremus Patriam; VIRTVS *cunabula nostris*
Non habet in terris, nec enim tam fertilis vllo
Gleba solo est, quæ tam vernantia Lilia *gignat;*
Infelix lolium, vel si quid pungit, & vrit,
Sponte sua nullis adiutum crescit aratris:
Nulla hyemes vitiis, neque feruens Sirius obstat;
Felix est omnis scelerum pro messibus æstas,
Imo velut fungi, cæli inter murmura surgunt,
Si maledicta vomas, hæc ocyma ritè seruntur;
Virginitas *cælo nata est, hic flosculus hortis*
Primus in Elysiis, aut lacte, aut sanguine crescit,
Tam caros spargit IESVS *topiarius imbres.*

His

His stetit areolis etiam WALBURGA*, sed istis*
Concessa est tantùm ceu tradux Plantula terris;
Nolo ergo ad flauos deducere stemma Britannos,
Felices cunas habuit, cui patria Cælum est:
Currite felici de glomere, currite fila:
Aere caput, scuto latus, Aegide pectus obarmet
Pallas, & AEtnaos delasset sola Cyclopas,
Tota stet in ferro, duroq; togata metallo
Rideat effusas, non admissura, sarissas:
Virginitas *meliùs tegitur, ne caeculus ille*
Et stolidus puer, inuelat cui pinnula tergum,
Armatas pharetrâ cùm sumpserit igne sagittas,
Inueniat vel tantillo pro vulnere punctum,
Et tenuem, qua mors possit subrepere, rimam,
Non tot sub tunicis oculi pia pupula ludit,
Non tam munito cubat aurea vena sepulchro,
Cum toti montes vnum fortasse pugillum
Luteola massa prædonibus inuiderunt;
Nec tam sollicitè furtiuis gemmula conchis
Insinuata, vdo Neptuni in pectore dormit,
Quàm vigiles specula, quàm plena armaria telis,
Et quanti Heroes vna pro Virgine pugnant:
Nec mirum, Cæli est oculus, vel gemma, vel aurum,
Aut si quidquam oculis, gemmâ, vel charius auro est.
Tu posses WALBURGA *loqui, cui pulchriùs iste*
Cognitus est superum fauor & clementia Cæli;
Cum velut ad belli signum, lituosq; volarent
Inde tot Aligeræ, loricatæq; cohortes,
Sub te factura stipendia, nempe vel ipsis
Non est indignum superis pro Virgine bellum,
Et pulchrum est, rerum pretium si nesciat orbis,
Saltem hoc pugnantis monstret contentio Cæli.

)( )(2 *Ecquid,*

Ecquid enim? lachrymis reliqui feruentibus astra
Vix rumpunt, Virgo ad superos per Lilia currit
Molliter, aut veluti raptauit Roma Sabinas,
Sic illam armatus Geniorum exercitus ambit,
Et si quod cælo spolium censetur opimum,
Hoc tulit ille, Deum qui sponsâ Virgine ditat.
Currite felici de glomere, currite fila.
Noctis auem comitem, plaudentem in casside gallum,
Quodq; minus deceat, serpentem ponè Draconem,
Turpe ministerium, ducet sua gaudia Pallas,
Et pingi volet & filo meliore notari;
Sed poteratne aliquid tota de gente volucrum
Improbius, fœdaq; minus spectabile plumâ
Selegisse sibi, raucoq; inamœnius ore,
Nam taceo, quem vel mors est vidisse, Draconem;
Pinge Palatinum iam nostra Virginis agmen,
Omnis tam tenui ducatur linea filo,
Quam nec Protogenes, nec scindere poßit Apelles,
Quam telam absumes? opus est expandere cælum,
Si totam cupias describere Virginis aulam;
Tale nihil Diuûm in pompis conspexit Eleusis,
Roma nihil, festos ageret cum læta triumphos;
Castum animum quoties sese ipso sanctior orbis
Protulit, effusi mira ad spectacula ciues,
Quotquot Olympus habet, terræ stipare theatrum
Incipiunt; nam nulla datur Comœdia cælo
Grata magis, quam virgo manu sua Lilia portans,
Sola hæc, atq; silens iam plausum scena meretur:
Quid vis? vt Deus orchestra propiore sederet
Virgineis animis, sumpsit de Virgine cultum;
Est aliquid, Cælo potuit quod ducere Numen.

Curri-

Currite felici de glomere, currite fila.
Palladias acies, deformatasq; Medusæ,
Implicito serpente comas, & denique quidquid
Gracula finxit anus, glomerat dum garrula lanam,
Si quis virgineis tentat componere bellis,
Ille idem soli nocturnam comparet vmbram;
Sæpe vel Euganeo visus tibi mollior agno,
Lacteolusq; animus, nutritus melle, rosarum
Incola, qui cæli tantum violaria nouit,
Et qualis WALPVRGIS *erat, quot prouocat hostes?*
Quot patitur nolens? quoties ruit orbe, vel Orco
Telorum nubes? quæ portant omnia mortem,
Vllum casto animo si sit penetrabile telum.
Hinc non tam densæ vernâ stant arbore syluæ,
Quam statuenda forent pro Virginitate trophæa,
Imbellis quoties mulier, vel Pusio vincit,
Si non inuideat pulchrè pugnantibus orbus:
Vix bene sufficiant vni viridaria fronti,
Si sit post omnes nectenda corolla triumphos,
Occupet vna nigras victrix WALPVRGA *Napæas;*
Currite felici de glomere, currite fila.
Si, cum pacalem, Pallas, sibi legit oliuam
Sudantem baccis, & honesta fronde decoram,
Gymnasiis laudata fuit, laudata palæstris,
Vsque adeo vt Diua nomen raperetis Athena,
Neptuno abiecto, licet ex maioribus esset
Ille Diis, raterq; Iouis, quid nobile tandem
Eiſtadium *facies? cui quamquam forsan oliuam,*
Aut aliam pingui baccâ, lacrymâq; perenni
Prægnantem posset WALPVRGIS *figere frondem,*
(O metamorphosin Pietatis!) semet oliuam
Fecit, & æternos sine torcularibus imbres

Destillat non guttatim, quamquam unica posset
Gutta Venafrani succis præcellere collis.
Certe quod visâ Cereali fruge, Coloni
Ructantes spissæ tandem fastidia glandis,
Iam satis est quercus *passim insonuêre per agros,*
Sic tam felici viso ceromate, cur non
Et veteres mutet cultus, & nomina quercu
Nata, à diuino posthac deducat Oliuo.
Quin etiam annosa duro de robore syluæ
Mansuescant præsente Deâ, montesq; vetustis
Incincti serpente hederâ, ludente corymbo,
Parnassus fiant, & culta cacumina Musas
Inuitent, WALBVRGA *chorum pro Pallade ducat:*
Nunquam hac propitiâ cessabunt carmina Diuâ,
Semper erunt resono vocalia barbyta filo,
Materiem mutis saltem dabit ipsa Poëtis.

PRÆ.

PRÆFATIO SANCTIMONIALIVM VVALPVRGINARVM,

IN HISTORIAM SEQVENTEM.

NOua non cupimus, ſed vetera ad memoriam plurimorum reducere volentes, cum plerumq; apud Cœnobium noſtrum ſanctæ VValpurgæ, ordinis almi Patris S. Benedicti, Eyſtettenſis Ciuitatis & Diœceſis, in quo corpus eiuſdem Virginis S. VValpurgæ corporaliter, mirabili quodam modo requieſcit, hiſtoria, legenda, vitaq; ſanctiſſimæ Virginis VValpurgæ latino, potiuſq; materno ſtilo, ob eius virtutum merita, exercitiaq; ſequenda, ſine numero expoſtuletur, quæ rariſsimè integra, veraq; apud alios inuenitur; ſatisfacere deuotè poſtulantium cordib. cupimus, & ad honorem Dei, Genitricisq; ſuæ immaculatæ, haud non S. VValpurgæ, omniumq; Sanctorũ, hanc impertire, & ad notitiam omnium perducere paratiſsimæ ſumus. Ideo arte impreſſoriâ, ſtilo vero, ordine & forma ex originali antiquiſsimo libro noſtri Monaſterii, hãc

exarari

exarari fecimus cum summâ diligentiâ, illo solo intuitu, vt ex hoc crescat honor Dei & Sanctorũ, lausq́; S. VValpurgæ, memoriaq́; nostri Cõuentus salubris, per hanc participationem apud legentes habeatur. Vnde & illi pro nobis omnib. apud Altissimum intercedere dignentur. Amen.

POST PRÆFATIONEM,

SEQVEBANTVR IN EODEM CODICE WALPVRGINO sequentia.

SAncta VValpurga Richardi Regis Angliæ filia, qui post Offonem Anglorum Regem, auunculum suum, qui sine liberis decessit, regnum Angliæ suscepit. Cui etsi per cognationem regnum Anglorum minimè competeret, ob multarum tamen virtutum merita, vt regnum susciperet, ab Anglis vocatus, & compulsus fuit: licet ex Sueuorum Duce natus esset.

Hic itaque Rex Richardus Christianus, cùm esset corpore speciosus, & mente pius, in armis strenuus, in bello victoriosus, in iudicio iustus, in consilio discretus, pupillorum & viduarum defensor, DEI Ecclesiarum eximius amator, in suscipiendo hilaris, in dando largissimus, in corripiendo seuerus, in consolando mitissimus; habuit vxorem VVunnam, seu VVunneheidem nomine, consimilibus virtutibus ornatam; ex qua DEI gratiâ, genuit duos filios, videlicet sanctum VVillibaldum, & sanctum VVunebaldum, & vnam filiam VValpurgam. Cuius quidem filiæ vitam, legendamq́; DEO fauente, & vitâ comite, edicere nostra est intentio ad præsens. Ideo ad eandem stilum conuertimus: nam conditio præsentis operis hoc requirit.

VITA

VITA
S. WALPVRGÆ VIRGINIS, EX MANV-SCRIPTO CODICE MONASTERII WALPVRGINI APVD EYSTETTENSES.
NVNC PRIMVM IN LVCEM prolata.

CAPVT I.

De ortu & genere D. Walpurgis.

IGitur Beata VValpurga Virgo Deo placida & hominibus grata, ex illustri prosapia, imò stirpe Regia exorta, scilicet ex Richardo rege Anglorum, nunc verò consorte Angelorum, patrem in cura, genitorem in natura sortita est; qui liberos suos disciplinam Christianæ religionis, & viam veritatis, tam per se, quàm per fideles pædagogos dignissimè docuit. Qui postea ad exhortationem liberorum suorum,

Phil. placita.

Genus & pater S. VValpurgæ.

Richardus Rex monitu filiorũ peregrinationem suscipit.

rum, videlicet S. Willibaldi, & Beati Wunebaldi necnon sanctæ Walburgæ, regnum & patriam dereliquit, & peregrinationem duram vnà cum liberis secum assumptis, Oceani periculo se commisit, & tandem post multos labores, & multa pericula, ad * Luccam, seu Lucanensem ciuitatem peruenit: Et ibidem mortali infirmitate consummatus, in monasterio Sancti Frigdiani in Domino feliciter * quieuit.

Luca moritur.
* *Philip.* requieuit.
* Luca ciuitas Hetruriæ, siue Thusciæ in Italia, Imperialis & libera, à quodam Lucamone Hetruscorum Rege sic dicta, vt quidam volunt.

Post cuius transitum beatissimum, filij eius Sanctus videlicet Willibaldus & Wunebaldus vnà cum sociis suis, ad limina Apostolorum Petri & Pauli perrexerunt, & à Papa Gregorio licentiâ obtentâ, Willibaldus & quidam ex sociis Ierosolymam petierunt, Sancto Wunebaldo propter infirmitatem magnam, qua tunc detinebatur, Romæ relicto.* Qui ad mandatum Papæ Gregorii, ad instantiam Sancti Bonifacij Moguntinæ sedis Archiepiscopi, qui cum vtilitatis causa, & ex legatione Pipini Regis Alemannorum Romam aduenisset, suppliciter Dominum Papam exorauit, vt eius adiutorio talem Coöperatorem & socium in agricultura Dei mereretur accipere. Cuius petitioni Gregorius Papa libenter acquiescens, rogando præcepit, vt ipse Wunebaldus, contubernio Sancti Bonifacij auunculi adhæreret, & in omnibus eius consilio & præcepto ad seruiendum Deo obediret.

S. VVilibaldus Romam venit cum fratre VVunibaldo.
Gregorius III.
VVilibaldus Hierosolymam petit.
* Textus intricatus, sed restituendus ex Philippo.
S. VVunibaldus mittitur in Germaniã cũ S. Bonifacio.

Hocquoque Sanctus Bonifacius à prædicto papa obtinuit, vt si quando diuina clementia Sanctum Willibaldum eius conspectui præsentaret, in adiutorium sibi ad Alamanniam eum transmitteret. Et peractâ legatione, & Apostolica benedictione perceptâ, ad Alamanniam rediit vnà cum Sancto Wunebaldo Coöperatore suo, quem postea à Maguntiâ in Thuringiam transmisit, & ibidem

Maguntia ciuitas Metropolitana ad Rhe-

&ibidem Sancto Wunebaldo habitum monasticæ Religionis, secundum Regulam Sancti Patris Benedicti tribuit, & ad Sacerdotij gradus promouit. Sanctus verò Wunibaldus virtutem obedientiæ attendens, in Spiritu humilitatis, in cunctis, quæ ei iniungebantur, perfectum se seruientem exhibuit, & sicut bonus filius & perfectus discipulus, vsque ad mortem Sancto Bonifacio obediuit.

num, vbi se Mœnus effundit, de qua Nic. Serrarius, lib. 4.

S. VVunibaldus habitũ monasticum induit.

Videns autem Archiepiscopus, quod Sanctus Wunebaldus in omni iustitiâ & sanctitate proficeret, septem ei Ecclesias in * Thuringia regendas commisit: quas ipse ad tantum culmen perfectionis prouexit, vt vsque in hodiernum diem per totam illam prouinciam in laudem Dei, honor & gloria S. Wunibaldi prædicetur.

S. Bonifacius committit S. VVunibaldo septem Ecclesias in Thuringia.

* Thuringia, Prouincia Saxoniæ.

Cum ergo hæc in Alamannia circa beatum Wunibaldum agerentur; Beatus Willibaldus frater eius, in peregrinatione, viso sepulchro Christi Ierosolymis, locisq; passionis eius, tandem ad * montem Cassinum, vbi ex institutione Sancti Benedicti Abbatis monasticam religionem vigere audierat, peruenit.

S. VVilibaldus lustrata Hierosolyma Cassinũ venit.

* Monasteriũ celeberrimum in regno Neapolitano ob S. Benedicti ibidem Abbatis sanctitatẽ, &c.

Quem Pater Abbas eiusdem monasterij, cui nomen Petronax erat, vnanimi consensu sui Conuentus, in monachum & confratrem, ad humilem sui petitionem, assumpsit: vbi in omni morum & conuersationis honestate, mirabilem, & imitabilem se exhibuit. Mansit itaque apud eos multo tempore irreprehensibilis, imo per omnia laudabilis.

S. VVilibaldus fit Monachus Cassinensis.

Et tunc omnibus valefaciens, de licentiâ Abbatis, cum quibusdam honestis fratribus, Ecclesiasticæ vtilitatis causâ, ad Dominum Papam properantibus, iterum Romam transiuit. Præsentatus itaque Apostolico con-

S. VVilibaldus iterum Romam venit.

ſpectui, benigniſſimè ſuſceptus eſt. Et paternâ exhortatione, & Apoſtolicâ auctoritate præcipiendo rogauit, vt ſine contradictione ad Sanctum Bonifacium Maguntinæ ſedis Archiepiſcopum, cum feſtinatione properaret, & in vineâ Sabaoth fidelem coöperatorem & humilem miniſtrum, in omnibus, quæ ei Sanctus Bonifacius iniungeret, ſe exhiberet. Cuius præcepto Sanctus Willibaldus in Spiritu humilitatis obediens, Apoſtolica benedictione roboratus, in Alamanniam ad Sanctum Bonifacium eius auunculum, ſicut ei à Domino Papa præceptum fuerat, peruenit, & quomodo ad ſeruiendum, & ad obediendum ei à Domino Papa miſſus fuerit, ex ordine narrauit.

Mittitur ad S. Bonifacium.

Venit in Germaniam

Poſtquam verò Sanctus Bonifacius & Sanctus Wunebaldus, cæteriquè eiuſdem ſocietatis fideles fratres, tam dilectum Deo & hominibus fratrem ſaluum recepiſſent, diutiſſimè in oſcula & in collum eius irruerunt, & præ gaudio flentes, Deum largitorem omnium bonorum, pro vniuerſis beneficiis ſuis glorificauerunt * Et beatiſſimus Præſul Bonifacius ex allodiis Svviggerij Comitis, * quæ ſancto Bonifacio, cum mancipiis ſeruiendum, Deo viuenti deuotiſſimè obtulit, in epiſcopatum Eyſtettenſem fundauit, & ipſum ſanctum Willibaldum Deo dignum Epiſcopum, Eyſtettenſibus præfecit: Quibus verbum vitæ euangelizauit, & in omni Pontificatus officio fidelem diſpenſatorem, & bonum ſeruum Dei ſe oſtendit.

Communis lætitia ob aduentum S. VVillibaldi.

* Inter hos etiam, qui de aduentu S. Willibaldi læcati ſunt, Pipinum Galliæ Regem ponit Philip.

* Ab Hirsberg vt teſtatur Bruſchius in Epiſc. Germ. cap. 10. Cuius nobiliſſimæ familiæ vltimus Gebhardus nomine, Bauariæ Duciſſa natus, moriens totum ſuum Comitatum Eccleſiæ Eyſtetten. aſſignauit. Anno 1305. Sepultus in monaſterio Rebdorſenſi iuxta Eyſtadium.

S. Bonifacius fundat Epiſcopatum Eyſtettenſem. Cui S. Wilibaldum præficit ipſo Die S. Mariæ Magdalenæ Anno 745. Conſecratus poſtea in Thuringiæ Cœnobio Sultzberg.

Hisitaque prælibatis, quomodo Wunnibaldus in Thuringia, ſanctusque VVillibaldus in Eyſtett, inſtitutus fuerit,

fuerit, quod intellectus historiæ sanctæ VValpurgis esse de necessitate * requirit; nunc restat, Deo fauente, & vita comite, vt stylũ conuertamus ad ea, quæ de beatæ VValpurgæ vitâ tractanda promisimus, vnde conuenit, vt digressiones in amplius nequaquam admittamus, nisi in quantum præsens opus requirit.

* *Requirebat.*

CAPVT II.

De vocatione D. Walpurgis ex Anglia in Germaniam.

SCiendum igitur, quod sæpedicti ac semper benedicti fratres, beatus videlicet VVillibaldus, ac sanctus VVunnibaldus, à tempore, quo fide dignorum relatione intellexerunt, *VVunnam,* seu *VVunnehcydam,* Reginam Angliæ genitricem suam, mulierem virtutis ac præclari meriti, viam vniuersæ carnis fuisse ingressam; tunc & frequenter de sorore suâ, beatâ videlicet VValpurgâ, naturali affectu stimulati, & charitate, quæ religiosos decet, inflammati, sollicitari cogebantur: Scientes eam post discessum matris, omni solatio temporali destitutam.

VVunna mater SS. VVillib. VVunib. & VValpurgæ.

Hæc igitur aduertentes, de consilio beati Bonifacij, decreuerunt, vt eam fideli vocatione ad se venire rogando præciperent, quatenus ipsa per eos, & ipsi per cætera mutua in Domino consolatione fruerentur. Quod & ita decretum, in factum prodiit. Per fideles namq; nuncios, & famosâ legatione beatus Bonifacius neptem, & fratres sororem prædulci supplicatione, & prece inuincibili solicitabant, quatenus ad eos venire non omitteret;

Fratres vocant S. VValpurgam in Germaniam.

ret; cùm ipsi patres spirituales ipsam, quam genuissent, in Christo filiam auctoritatiua admonitione ad id faciendum hortarentur.

Gaudium S. VValpurgæ ob vocationem in Germaniam.

Virgo VValpurgis gratiosa semper hoc supplex mandatum ac fidele consiliũ sagaci mente complectens, supra quàm enarrari potest in Domino gratulabatur, vberrimas ei gratiarum actiones exsoluens super eo, quod tam magnificorum patrum, ac charissimorum fratrum meruisset reuerenda salutatione, ac piissima exhortatione visitari. Ex tunc virgo VValpurgis sapiens, & vna de numero prudentum, solerter cogitare cœpit, & cogitando in spiritu scrutabatur, quid ei in hoc casu liceret, eamque deceret, necnon ipsi feliciter expediret. Itaq; VValpurgis virgo humilima proprij sensus sagacitati non innitebatur, sed tota deuotione se Deo committens, suppliciter exorabat, vt in vitandis & agendis, voluntate Domini bona, beneplacente & perfecta semper regeretur. Et non post multum temporis diuina reuelatione cognouit, quod suæ inuitationis vocatio à Deo præordinata fuisset, & secundum diuinæ voluntatis nutum prodiisset: Vnde consensum liberrimum huic gratiosæ inuitationi præbere non dubitaret, nec dubitando in amplius quoquo modo differre deberet.

Ex diuina reuelatione cognoscit Deo gratum esse, vt ad fratres sese conferat.

CAPVT III.

De exitu B. VValpurgis ex Angliâ in Germaniam, & miraculo, &c.

EX hac certificatione virgo VValpurgis deuotissima, plus quam credi potest, mente gauisa

uiſa eſt. Ex illa hora mente ſollicita tractare cæpit, quomodo conceptum iter Deo laudabiliter, & ſibi vtiliter aggrederetur: Et collegit atque elegit conformes ac ipſius intentioni congruentes. Et expedita decenti prouiſione, quæ in expenſis, & impenſis ad dictum iter requirebatur, de licentia eorum, qui ſibi, ſuæq; * ſocietati auctoritatiuè præerant, ſæpe dictum iter aggreſſa eſt. Et valedicens ſuis, ac ſolo natalis patriæ, tanquam filia laudabilis obedientiæ, audiens conſilia, videns Sanctorum exempla, *populum ſuum oblita eſt & domum patris ſui*, quæ retrò ſunt paruipendens: et potiora futuræ benedictionis chariſmata inquirens, viam propoſitæ voluntatis exorditur; & cum ſua ordinata, nec minus deuota ſocietate ad mare Anglicanum vſque perueniens, mari placido, & aurâ optabili puppim conſcendit; & votiuè nauigantes pro aliquâ parte temporis, Diabolus humani generis inimicus, qui ſanctis Dei per diuerſa tentationum machinamenta aduerſari conſueuit, ſæuitiam mari, & intemperiem aëri immittens, mare ſæuire fecit, & contrarietate ventorum in periculoſas vndas compulit, ita vt nautæ inſtrumenta nauigandi proiicerent, & de ſola ſalute æterna Dominum deprecarentur.

* Quinq; præcipuè fæminæ, vna cum S. VValpurga ex Anglia in Germaniam veniſſe recenſentur: quarum ſingulæ ſingulis monaſteriis fuerint poſtea præpoſitæ, ut refert Serrarius, lib. 3. Not. 24.

S. VValpurga ingreditur iter in Germaniam.

Excitatur in mari tempeſtas, operâ Dæmonis.

Quo viſo, virgo VValpurgis deuotiſſima in oratione ſe proſtrauit. Et ſurgens ab oratione, imperio diuinæ virtutis ſuffulta, imperauit mari & ventis: quo facto, ſtatim aura datur grata, necnon quieuerunt maria iuſſu diuinæ voluntatis. Tunc vehementi ac lætabunda admiratione omnes, qui erant in naui, gratulari in Domino cogebantur, quòd tam ſuper ſalutifera liberatione à periculo mortis, quod eis ex tempeſtate maris imminebat, erepti ſunt: Et beatam VValpurgam, tanquam ſpecialiter Deo

S. VValpurga precibus ſedat tempeſtatem maris.

ter Deo dilectam, ex hoc ſigno deprehendentes, vt ſanctã per omnia venerabantur, & fauente Dei gratia, pro deſiderio ad portũ ſalutis applicuerunt: & de naui exeuntes, operibꝰ virtutũ ſe contulerunt. Et vt longa locorũ ſpatia breui ſermone tranſeamꝰ, memorata Virgo, nec nõ ſemper memoriter recolenda, cum ſuâ ſocietate ad beatum Bonifacium Archiepiſcopũ, & ad ſuum fratrem ſanctum VVillibaldum in Alamanniam, in ciuitatem Moguntinam peruenit; ibique hilari ac gratioſâ hoſpitalitate ſuſceptâ, & pro tempore cum eiſdem commorata; dulci allocutione fruebatur, ex qua delectabatur in Domino. Et qualiter nutu diuinæ voluntatis, & auctoritate vocationis ipſorum, patriam deſeruiſſet, & ad eos, ſecundum formam mandati properaſſet, & quomodo in via cuſtodita à Domino, ab omni diſcrimine itineris ſalubriter ad terminum viæ perueniſſet, etiam ex ordine narrauit.

S. VValpurga venit Moguntiam.

CAPVT IV.

Quomodo religionis velum acceperit, & velata vixerit, & de induſtriâ S. VVunibaldi eius fratris, &c.

INtelligens autem virgo VValpurgis, quod S. VVunebaldus frater eius vitam monaſticam atque Cælibem in prouincia Thuringiæ duceret, & præfectus ſeptem monaſteriis ſui ordinis, auctoritate ſancti Bonifacij fuiſſet, quæ laudabiliter, vt ſanctum Dei & electum decet, religioſiſſimè gubernaret; ſuppliciter ſanctum Bonifacium, nec non fratrem ſuum, videlicet ſanctum VVillibaldum exorauit, quatenus eam

S. VValpurga cupit ire in Thu

nus eam

nus eam ad fratrem suum, sanctum videlicet VVunibaldum, Abbatem sanctissimum, destinaret, vt eius consilio & cooperatione sub regulari custodia ac monasterialis vitæ exercitio, gratia Dei fauente, seruaretur. *ringiam ad S. VVunibaldum fratrem.*

Vt autem audissent Patres sanctissimi, Archiepiscopus videlicet, & eius Coëpiscopus beatus VVillibaldus, quòd ipsa intentione sanctâ, ac motiuo rationabili duceretur, suam petitionem approbant, & velum ei tradentes secundum regulam sancti Benedicti, ipsi licentiam abeundi, & ad sanctum VVunnebaldum diuertendi concesserunt. Quæ profecta, ad sanctum VVunnebaldum perueniens, religiosâ salutatione suscepta est. *Suscipit habitum monasticũ*

Tunc soror fratri causam aduentus sui exposuit, atque eidem humili prece in Domino supplicauit, quatenus ipsam vnà cũ societate suâ deuotâ, in aliquo monasterio locare curaret, vt ibi Deo famulantes, quanto ab exterioribus magis abstractæ, tanto interioribus magis intentæ inuenirentur. Quod & ita factum legimus. Nam beatus VVunnebaldus sæpedictam sororem suam, vnà cum societate suâ, in quodam monasterio collocauit, quod vsque in hodiernum diem, *Cœnobium sanctæ VValpurgis* dicitur. Videns autem virgo Christi dilecta se pro voto sancti desiderij fore in loco religionis positam, talem se exhibuit, vt ab omnibus in exercitio virtutum, & spirituali ædificatione bonorum morum commendaretur. Erat enim seruans formam virtutum, videlicet charitatem & humilitatem, necnon benignitatem & cordis patientiam, quæ opus perfectum habet, & studio earundem se perfici satagebat. Et quid plura? Cùm eius mirificæ sanctitatis vita, aspicientium, vel de ipsa audientium, *S. VVunibaldus VValpurgã sodalesq; eius in monasterio collocat.* *Qualem vitam duxerit in monasterio.*

tium,

tium, fuerit diſciplina. Et quanta fuerit in iubilo contemplationis, quàm frequens in verbo orationis, quàm efficax in prece interceſſionis, quàm matura in ſilentio diſcretionis, quàm ſollicita in re & modo cuiuſcumque piæ actionis, nullus de ea ſufficienter enarrare præſumat.

S. VVunibaldus ſæpius viſitat SS. Bonifacium & VVilibaldum.

Factum eſt autem, cùm beatus VVunnebaldus frequenter ad Dominum & auunculum ſuum ſanctum videlicet Bonifacium, nec non fratrem ſuum ſcilicet VVillibaldum, gratiâ conſilij & ſpiritualis ſolatij, diuerteret, quod multo honore & reuerentiâ ab omnibus ſuſcipiebatur, & tanquam vir ſanctitate præclarus à cunctis venerabatur. Et cùm vir beatus famam ſuam, tam in prouincia Thuringiæ, quàm etiam circa partes Rheni, multùm per omnem modum exaltari conſpiceret; timuit fructum laborum ſuorum vanæ laudis gloria euaneſcere, & lampadem ſuam, veniente ſponſo, infatuato oleo tenebreſcere, elongauit ſe ab omni quòd videbatur ſapere pompam ſæculi, fugiens ab omni applauſu hominum, vt maneret in contemplationis ſolitudine.

S. VVunibaldus ſolitudinē petit.

* Partes Norici ſiue Rieſæ, vt teſtatur Bruſchius.

* Non habet hæc Philip.

Venit Eichſtadium ad S. VVilibaldum, anno 750.

Itaque Eccleſiis, quas regendas ſuſceperat, bene diſpoſitis, acceptâ licentiâ ab Archiepiſcopo, ſecretum ſolitudinis petiuit, & ad partes illas, quæ *Svvāuelden nuncupatur, acceſſit: Et cum diu hac & illac circumcurſando; locum ſuo deſiderio complacentem quæreret; tandem diuinâ prouidentiâ ita diſponente, * ad monaſterium, quod dicitur Eyſtett, ad fratrem ſuum Epiſcopum VVillibaldum peruenit: & ibi inter ſe diſputantes, qualiter ſuæ voluntatis arbitrio effectum præbere potuiſſet.

* Hinc collige Eyſtadiū neccdū ciuitatē, ſed monaſterium dūtaxat, quod ab exciſo querceto, *Eichſtatt*, hoc eſt, *locus quercuum*, nomen accepit.

Quærunt locū extruendo monaſterio.

Tunc illi pergentes, inuenerunt inter denſitates ſiluarum, & inter conuallia montium ſolitudinem, multitudine fontium & qualitate ſuæ magnitudinis veloci

impetu

impetu decurrentium irriguam, & monasticæ habitationis congruam * inuenit. Cuius loci situm vir beatus diligenter considerans, toto corde exhilaratus est. Et benedicens Deo, soloque prostratus, cum Propheta exclamauit dicens: *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Quem locum vir Deo plenus, de consilio & auxilio sancti VVillibaldi, fratris sui, ad quem maior pars de iure pertinebat, obtinuit, & in eo Oratorium cum mansiunculis exstruxit, & vitam sanctorum Patrum imitatus, ad seruiendum Deo religiosas personas, & in obseruatione mandatorum Dei probatas, collegit, & cœnobialem vitam celebrari, & regulam sancti Benedicti obseruari inibi constituit, & loco nomen * *Heidenheim* vsque in hodiernum diem permansit.

Redundat hoc verbum.

Reperiunt locum idoneum.

S. VVunibaldus edificat monasterium. Sub regula S. Benedicti.

* *Nomine Heidenheim.* Est locus Diœcesis Eystettensis, sub ditione Marchionis Brandeburgici Anshachensis, qui peste Lutheranâ infectus, SS hoc monasterium in nescio quos vsus, vel abusus transtulit.

Assumpsit etiam sororem suam sanctam VValpurgam virginem Deo dicatam, quæ cum virginibus Christo desponsatis, sub imperio & eruditione sua, de consilio sancti Bonifacii Archiepiscopi, & beati VVillibaldi Eystettensis Episcopi, seipsas hostiam immaculatam Deo viuenti, sub discretione regularis disciplinę, iugiter immolauerunt, construxitque eisdem sacris virginibus Oratorium à suo monasterio, vt decebat, segregatum, non tamen longè positum; in quo præfatas virgines ponens, famulari Deo pro posse & nosse præcepit: quas etiam verbo sanæ doctrinæ, & exemplo bonæ vitæ indesinenter ad formam perfectionis hortabatur.

Vocatur S. VValpurgis Heidenheimiū. Vt præsit monasterio monialium.

Duplex monasterium in Heidenheim, virorum & mulierum.

Creuit itaque locus ille per merita sancti VVunnebaldi & sanctæ VValpurgæ virginis, & sicut interius orationibus, & diuino obsequio sanctorum est adornatus: ita breui tempore in exterioribus fidelium oblationibus est ampli-

Incrementum vtriusque monasterij.

est amplificatus. Nam omne monasterium, quod in spiritualibus bene regitur: in temporalibus optimè prosperatur. Et omnes qui in spirituali ædificatione per verbum sancti VVunnebaldi, & exemplaritatem sanctitatis beatæ VValpurgæ proficiebant, de prædiis, de mancipiis, de rebus mobilibus, de auro, de argento, de gemmis, de auro textis vestibus, per manum sancti VVunnebaldi atque sanctæ VValpurgæ virginis, oblationes offerebant.

Copiosa oblationes & donationes.

Cum autem venerabilis Abbas & Confessor Christi, & soror eius iam dicta & semper laude digna, viderent fines prædiorum suorum dilatari, & in omni ornamento & diuitiis temporalibus res Ecclesiæ augeri; veriti extollentiam oculorum ex superfluitate diuitiarum generari, partem Ecclesiasticarum rerum in vsus pauperum distribuerunt, & quædam ex prædiis Ecclesiæ, cellis adiacentibus adhuc mendicitate paupertatis laborantibus, hilari mente, & largâ manu contradiderunt. Sub ipsis etiam & per ipsos viguit religio Monachorum, ipso exhortante; & sancta VValpurgâ adoperante, sanctitas & castitas floruit virginum, fuitque illo tempore ipsorum Ecclesia, *asile & portus omnium laborantium; nec fuit, qui in tribulationibus suis non inueniret ibi certum refugium, per merita & orationes Sanctorum inibi Deo ministrantium.

Beneficentia in pauperes.

Disciplina utriusq; monasterij.

* *Asylum.*

Cum autem sanctus VVunnebaldus venerabilis Abbas & Confessor Christi, Deo vocante, & ipso ad cœlestia regna suspirante, territorium sui meritorij incolatus attigisset, graui infirmitate correptus, cursum vitæ consummauit, de huius peregrinationis exilio ad cœlestem

Mors S. VVunibaldi.

patriam,

patriam, ac de transitorio labore quinta decima Kalend. Ianuarij, in cœlestem requiem feliciter migrauit.* Cuius corpus sanctus VVillibaldus frater eius, Eystettensis Episcopus, suusque diœcesanus, cum multitudine virorum ac mulierum ad exequias sancti viri currentium, deuotione clericorum, & orationibus Monachorum, sanctarumque virginum, in * Oratorio, quod ipse venerabilis Pater VVunnebaldus Deo fabricauerat, honorificè sepeliuit: quod idem præsul ob honorem Dei & reuerentiam beati *Iacobi maioris*, qui patronus eiusdem loci dignoscebatur, necnon propter fratris dilectionem, ampliauit & adornauit. Flebant autem omnes, qui tunc aderant, quod tanti Patris corporali præsentia orbati essent. Gaudebant verò, quod ad cœlestem iudicem tam Deo placitum intercessorem præmisissent.

* Anno Domini 760. 18. Decemb. Ætatis suæ 60 postquam monasterio Heidenheim præfuisset decē annis. *Funus & exequiæ S. VVunibaldi.*

* Monasterij videlicet Heidenheim ex quo SS. eius caput dono acceptum, non ita pridē transferri curauit. Ill^mus S R. Imp. Dapifer Christophorus, Baro de Walspurg, quod honorificè reconditum multis in Sucuia claret miraculis, magnoque populi accursu veneratur.

Secuta sunt autem signa in sanctitatis eius argumentum, prout studiosus Lector in propriâ eius legendâ videre poterit.

S. Iacobus maior patronus Heidenheimensis.

Fletus in funere.

CAPVT V.

De laudabili regimine S. VValpurgis, post fratris sui S. VVunebaldi mortem.

DEnique post mortem fratris sui, sancta & venerabilis virgo VValpurgis, ex districta iniunctione sancti VVillibaldi, superstitis fratris sui, atque pariter diœcesani, gubernacula & regimen regularis disciplinæ in cellâ Heidenheimensi, tam super Monachos, quàm super sanctimoniales, non sine effusione lacrymarum cogebatur suscipere. Nouerat namq;

Miracula post mortem.

S. VValpurga vtriq; monasterio præficitur

ſororem ſuam Pater ſpiritualis, & frater vterinus, quod conſtanter ſtrenua in corrigendis, & miſericorditer pia in compatiendis procul omni dubio indeficienter inueniretur. Non autem quærens honorem, ſed tribulationem & dolorem, vt in ſequentibus apparebit, inuocando nomen Domini, iniunctam ſibi gubernationem humili * obeditione ſuſcepit, & ſedecim annis, id eſt, quoad vſque vixit, dicta gubernacula tenuit, & ſeipſam formam & exemplum bene viuendi oſtendens, omnem exceſſum ſtrenuè, & vt ita dicam viriliter correxit.

PH. Obedientia.

S. VValpurga vtriuſq; monaſterij gubernationem vſq; ad finem Vitæ tenuit.

Admiranda dotes S. VValpurgæ.

Tantę enim fuit, cum tempus & res expoſcebat, grauitatis, & tantæ, pro congruitate loci & temporis oportunitate, pietatis ac manſuetudinis, & omni hora in conuerſatione ſua tantæ extitit ſanctimoniæ & perfectionis, vt ab omnibus meritò veneraretur vt Domina, & à cunctis diligeretur vt mater amantiſſima. Fide namque rectâ luculenter, ſpe firma fortiter, charitate perfectâ dulciter cum ſuis intrare contendebat in requiem. Nam rectâ ratione agibilium vtebatur in negotiis, luminosâ iuſtitiâ fruebatur in iudiciis, conſtantiſſimè fortitudini innitebatur in aduerſis, charitate cunctos ſibi conuiuentes ſuperabat, humilitate longè præibat.

Item, frequens erat in manuali labore, frequentior in lectione, frequentiſſima in oratione. Frequens in manuali labore fuit, ne panem otioſa comederet; ſed labores manuum manducaret. Frequentior erat in lectione. Frequentiſſima etiam in oratione, in qua Deo loquimur.

Hæc de virtutum ſtudiis, & ſtudiorum exercitiis pauca de innumeris dicta ſufficiant.

Sequuntur

Sequuntur miracula, quæ in vita Dominus per eam, & propter eam gloriosè ipsam manifestando egit.

CAPVT VI.

Miraculum in vita ab ipsa Virgine perpetratum.

COntigit namque vt in ipso, quod frater ceius* edidit monasterio, *Heidenheim, dum ipsa Christo *sedulè seruiens moraretur, & peracta vespertina synaxi, reuertente ipsa de Ecclesia ad solitum diuersorium, noctem proximam cæcæ tenebræ minarentur, ac quidam custos eiusdem Ecclesiæ, vocamine* Gomeradus, lumen præuium stolidus denegaret petenti. Illa, vt est mos sanctarum mentium,* iniuriam sibi illatam patienti animo gestans, sanctimonialibus, prout ratio dictauerat temporis, mensam, cœnandi gratiâ, adeuntibus, incœnata lectisternia petiit. Tum mirum in modum, in communi earundem sanctimonialium dormitorio, tanta lux, vsq; * ad pulsum matutinalis officij coruscauit, vt eadem pro sui nimietate fulgoris, terræ intima penetrare videretur.

Stupentibus* itaque quæ viderant sacratis Deo vniuersis, & præ gaudio exultantibus cunctis, ad matrem Walpurgam conuenêre *deuotè, & visum lucis terrificæ narrauêre. At illa se totam conuertens ad Dominum, lacrymis fusis istam prorupit in vocem: Tibi Domine, cui ancilla humilis deseruire decreui à cunabulis, collato de munere gratias refero, qui ad excitandos famula-

rum

* B.M.S. Condidit.
* B.M.S. Heidanheim.
* C. Sedulò.
* B.M.S. Gomeradus.
* B.M.S. Iniuriam inlatam.
* Vsque ad ortam solis habet Philipp.
Splendor cælestis apparet.
* B.M.S. & C. Denique.
* M.S.B. Deuotæ.

rum tuarum mihi cohærentium animos, me indignam luminis tui solamine visitare dignatus es, & tetri horroris caliginem crassam, misericordiæ tuæ radiis euacuasti: Et id non meis meritis valet asscribi, verùm gratuitæ tuæ munificentiæ, pietati & precibus mei & tui deuoti famuli fratris.

CAPVT VII.

Aliud miraculum, infirmæ virginis sanitati restitutæ.

PRæterea virgo memorata & semper in ore tenenda Walpurgis, exitum fratris * Wunnebaldi, vt sexui moris est fœminarum,* grauiter pectore gerens, contigit, vt quadam vespera nullo ex monasterio vel leniter sentiente, egrediens, ad domum cuiusdam diuitis deueniret, & ante fores eiusdem quasi peregrina quædam & ignota sola consisteret. Quo dum eam Dominus domus, siue familia, intrinsecus* officia præbens, sensisset asstantem, quæque foret persona nesciret, æstuante patrefamilias cum domesticis vniuersis, ne rabida canum suorum audacia, qualiscumque esse videretur persona, eam laniando discerperet, iussit, vt quæque esset ociùs indicaret. Tum illa: Nequaquam, inquit, me tui, quos vereris, canes insano dente contingere quibunt, nec* Walpurgam, sic enim nuncupor, mordere valebunt. Ipse nempe, qui me ad domum tuam perduxit incolumem, ad locum, vnde veni, reducet valentem: & qui me ad tuum, te ignorante, pertulit atrium, ipse tuæ domui medicinæ conferet donum, si totis viribus

B. M. S. VVunibaldi.

Idem M. S. addit, è corpore.

M. S. B. addit, famulatus.

B. M. S. Waltpurgam.

bus eundem crediderîs medicum medicorum. Quo audito, vir illuſtris à loco, quo ſederat, illico proſiliuit, & animo conſternatus; quare ad oſtium nobilis perſona, & Omnipotentis ancilla conſtiterit, requiſiuit. Illa verò, non ſine cauſa ſe veniſſe aſſeruit. Tum vir memoratus cum omni veneratione eam in domo excepit, & omnem famulatum debitæ ſeruitutis exhibuit. Vbi ventum eſt ad noctis moras ſoporis ſilentio temperandas, Virginem ſacram nō alicubi pauſare volentem, in cubiculum languentis filiæ trepidus introduxit. Erat enim languor cordis iam penetrans fibras, & * intercepto vitalis flatus anhelitu, mortis compendium parato itinere, portas oris hiantis adire tentabat. Tum pater eiuſdem puellæ, labiis palpitantibus mugiens, eiulabat, & natæ cariſſimæ amaris lacrymis funebria præparabat. Mater verò intimo * cordis arcano iam penè præmortua, & pendula in planctu voce demiſſa, exhalantis filię operiebatur egreſſum, cui iam luctuoſa familia parauerat buſtum. Verum Domini clementiſſima miſeratio, qui occidit, & viuere facit; percutit & ſanat, à morte minaci languidam reuocauit, & orante per totam noctem Virgine ſancta, in craſtinum puella ſana ſurrexit. Quo parentes viſo miraculo, laudes omnipotenti reddiderunt Deo. Dein plurima ei xenia adhuc tremuli offerentes, & ex aſſe eius ſe ſacris orationibus commendantes: illa Chriſtum habens mira gerentem, pecuniam reſpuit, & ad monaſterium, vnde venerat, repedauit. Et quanto magis diuinam in ſe clementiam vigere conſpexit; tanto ad arctioris vitæ ſe gradus extendit.

* *M. S. B.* Interſepto.

* *M. S. B.* pectoris.

S. VValpurga moribundam puellam à morte liberat.

S. VValpurga reſpuit munera.

Ex hac Hiſtoria tale Corollarium texuit Philip. Coniicimus, *inquit*, ex narratione iam dicti miraculi, non ſolùm puellam priſtinæ ſanitati mirificè reſtitutam, ſed & canum rabiem, & quaſi inuincibilem eorum inſaniam fore miti-

gatam.

gatam. Nam in verbis eius Dominus monſtra placauit. Hinc etiam non immeritò creditur, vt rabida incurſione canum, vel aliorum ferocium animalium intentati, ſi B. Walpurgam virginem gratioſam deuotè inclamauerint, procul omni dubio liberentur, vel ſi læſi fuerint, citò ſalubriter, meritis B. Walpurgæ virg. ſanitati reddantur. *Hac Philippus, ſimilem gratiam B. VValpurgi Virg. aſſeribens, qua nunc in ampliſſima Arduenna ſylua Abbatia claret, totamq; diœceſim Leodienſem illuſtrat* S. Hubertus, *ex Aquitania Ducibus primus Leodienſis Eccleſia Epiſcopus.*

Hæc duo tantùm præclara miracula, quæ Virgo beata peregit in vita, huic inſerere dignum putaui opuſculo, quæ noſtram ad memoriam peruenère, ne ad alia, quæ hactenus per eam Dominus operatus eſt, & operatur quotidie, ſignorum prodigia, ipſo Domino largiente fideliter tranſiens, eadem omiſiſſe culparer.

CAPVT VIII.

De obitu S. Walpurgis, ſepultura & miraculis inibi factis.

M. S. B. Cum igitur.

Vmq; ſacra virgo VValpurgis totam ſe in Dei amore firmaſſet, & mundum cum ei* concupiſcentiâ ſuperaſſet, fide plena, moribus inſignis, charitate referta, ſapientiâ decorata, caſtitate geminata, miſericordia redimita, humilitate fulcita, & omnibus virtutibus adornata, vocante Domino, mortis accepto compendio, acceptura remunerationis præmium,* Walpurgis Deo chariſſima curſum felicis vitæ feliciori fine conſummauit, & de huius mundi ergaſtulo feliciſſimè deceſſit * quinto Kalendas Martij, hoc eſt, in craſtino Matthiæ Apoſtoli, & in eodem, quo in ſancto propoſito Chriſto ſeruierat, monaſterio Heidenheim nomine, haud ſine maximo lamẽtantium eiulatu. Officium

* *M.S.B. ſic.* obuiauit, & ex huius mundi lacrymoſâ voragine felici fine deceſſit, & in eodem, &c.

* Moritur S. Walpurgis 25. die Febr. Anno Chriſti 776. 16 annis à morte fratris Wunibaldi. Sepelitur Heidenheimij

cium sepulturæ per beatum Willibaldum Præsulem fratrem suum accepit: Ibidem ergò aliquantum temporis corporea compaginatione quiescens iuxta fratrem sanctum Wunnebaldum; vt vicinitas sepulturæ germanitatem generis & parilitatem sanctitatis demonstraret.

Cùm autem venerabilis virgo Spiritum suum in manus Domini commendasset, & ille ad Dominum, qui dedit illum, peruenisset, non sine miraculorum corusca- tione, quæ recto ordine hic inserenda meritò sunt. Nam cum corpus sanctæ Walpurgis in feretro positum esset, exanime corpus in specie hominis glorificati ab aliquibus circumstantibus tali visione dignis demonstratum est. Similiter odor miræ suauitatis & flagrantiæ inæstimabilis totam domum impleuerat ex præsentia glebæ sanctissimæ. Item, cùm corpus eius ad Ecclesiam deferretur, cerei ac candelæ, sine adminiculo humanæ coöperationis accendi videbantur. Nec non alia perplura signa facta sunt, quæ compendio abbreuiati sermonis pertranseo, ne legentibus prolixitas tædium generare possit.

De miraculis S. VValpurgis in morte eius factis.

Corpus S. VValburga mortuũ, apparet glorificatum.

CAPVT IX.

De reuelatione S. VValpurgis Ockario VI. Eystettensium Episcopo facta.

PRocessu verò longi temporis, postquã beatus Præsul Willibaldus de hoc mundo nequam * migrauerat in polorum regna, cœtibus angelorum admixtus, reuelatione diuinâ cuidam Eystettensium Episcopo * Ockario sexto, qui dum minus quàm

M.S.B. habet Paruo deniq; interposito, tempore.

* Migrauit autem 7. Iulij Anno 781. ætatis suæ Anno 77.

* *M.S.B. vocat* Ocgarium, Brusc. Odgerum: addens eum Episcopum constitutum Anno 858. præfuisse laudabiliter 25. annis, obiisse 7. Iulij Anno 881.

quàm ratio deposceret honestatis, idem monasterium, quo beatæ * sanctimonialis ossa tegebantur, excoleret, & Ecclesiam eiusdem monasterij magnis ædificiis & structuris renouaret, monstratum est ei, vt corpus beatæ Walpurgis de loco humili, in quo humata fuerat, ad locum excellentiorem magis ac reuerentialem transferre deberet.

* M.S. monialis.

Igitur Deus Omnipotens Ecclesiæ Eystettensi ac saluti totius populi eiusdem ciuitatis, nec non circumiacentis regionis prospicere, imò misericorditer prouidere decernens, quadam nocte corporis quiete sopitus, dum tetræ ei tenebræ silentium ministrarent, huiusmodi eum alloquio Virginem compellasse narratur. Cur, inquit, Ockari, qui Præsul esse & dici meruisti, domum Dei, in qua corporis sopore quiesco; & sepulchrum, in quo carne reposita, vltimum iudicij diem expecto, inhonestè hactenus tractare voluisti. Nam seruorum huc coëuntium luculentis pedibus quotidie calcor, & indecentibus vestigiis premor. Sciens igitur scito, quoniam tale aliquod iudicium pandam, quo non rectè te erga me, & domum Dei egisse comperias. Sed si reum te fore cognoueris, veniam * mereberis.

Verba S. VValpurgæ ad Ockarium Episcopum.

* M.S.B. merearis.

Quod modico explicito tempore rei probauit euentus: nam statim in proximo, dum erecti essent parietes eiusdem fabricæ prominentes, & trabium spatiosa compago sequenti die patentibus muris deberet apponi, subito facto noctis * initio, murus aquilonaris terra-tenus sese reuoluens, præcipitium egit horrendum, terroremque haud minimum tam domesticis curæ familiaris, quàm cunctis circunquaque manentibus inauditum incussit.

Paries templi in signum collabitur.

* C. C. facto iam noctis silentio.

Facto

Facto autem mane, cum ad huiusmodi spectaculum omnes pauidi conuenissent, custos qui tunc ibidem inerat * Regnifridus, itineris calle directo, prælibato Præsuli tremulis labiis * nuntiauit. Qui intelligens visionem, quam prius in * somnis viderat, esse completam, cum suis illò vsque tetendit, atq; cum omnibus penè comprouincialibus, Ecclesiam repoliuit, quam etiam sacro chrismate dedicauit.

* *M. S. B.* Reginfridus. C. Reinfridus.
* *m. s. b. mend.* nuntiabit.
Episcopus restaurat Ecclesiam.
* *m. s. b.* in somnis creuerat.

CAPVT X.

De prima translatione S. VValpurgis per Ockarium Episcopum, & miraculis in illa factis.

DEinde cùm in orbem transissent dies, memoratus Antistes Archipresbyteros Waltonem & * Adalongū illuc sedulus destinauit, cum multis viris religiosis, ad quærendum corpus sanctę Walburgis. Necnon * Omonem cum * sanctimoniale Liubila ex monasterio * Monheim cum eis abire præcepit, vt sacros cineres Virginis summâ cum diligentiâ eleuarent, ac cum hymnis & psalmorum concentibus ad Eystettense * Cænobium, * in quo sanctus Willibaldus Eystettensis Episcopus frater eius sepultus fuerat, deportarent, in quo Cœnobio, nunc est Ecclesia Cathedralis eiusdem diœcesis.

* *M. S. B.* Adalungum.
* *M. S. B.* Ommonem.
* f. Liubila sanctimonialis ex Monheim hic dicitur per anticipationem, si verum est monasterium hoc prius sub Ercamboldo cœpisse, vt scribit Bruschius.

* *M. S. B.* Mourrenheim. * *In m. s. b. seqq. desunt.* * *Cathedralis Ecclesia Eystettensis olim Cænobium.*

Hi verò iussa felicia prospero itinere percomplentes, & * in nomine Domini, resonantibus in cœlum campanarum

* *In m. s. b. desunt 3. illa verba.*

panarum melodiis, & concrepantibus vndique canorum spiritualium eufoniis & officiis diuinis peractis, pia viscera rure, in quo hospitata fuerant, flentes præ gaudio, extulerunt, * & diebus interiacentibus ternis, id est, * nono Kalendas Octobris, corpus sancti Wunnebaldi, ad locum vnde sororis tulerunt, deportarunt.

** M. S. F. & ad dam dictū monasterium deuexe sit. Quod factum est 11. Kalend. Oct.*

Ea verò cum debito honore illo delata, diebus interiacentibus, &c.

** Wolff. 8.* Kalend Octob.

Cùm autem venerabile corpus supradictæ Virginis de loco sepulturæ suæ supra terrā est collocatum, omnia membra eius quasi rore perfusa cunctis apparuerunt. * Flagrantia nihilominus inæstimabilis ac mirifici odoris omnes qui aderant senserunt, ac infirmi, qui pro eo tempore præsentes fuerant, quocumq; dolore tenebantur, salubritate suauitatis tam recreatiui odoris curati sunt, & cum multâ, vt dignum erat, celebritate, à loco prædicto feretro imposito, equis adiunctis, ad ciuitatem Eystettensem deportauerunt cum processione celebri ac deuotâ, multis infirmis occurrentibus in viâ, qui cum feretrum tangerent, sanati sunt. Inter quos quidam * epilenticus, gratiâ adipiscendæ sanitatis, * feretrum in quo sanctum corpus portabatur, transiuit, & in ipsâ horâ pristinæ sanitati restitutus est.

**. Phil.* Flagrantiam.

Reliquiæ S. VValpurgæ suauem odorem habent.

Tactu feretri reliquiarum curantur infirmi.

** Ph.* epilepticus

** Ph. addit.* ad.

Curatur Epilepticus.

Superuenit etiam quidam puer eodem morbo detestabili laborans, & frequenter dolore conquassatus, spe curationis feretrum tetigit, & omnimodam sanitatem adeptus, gaudens ad propria remeauit.

Alius ab eodē morbo liberatur.

Omissis tantùm causâ breuitatis multis aliis signis & miraculis, quæ in itinere ab Haidenhaim, vsque ad Eystett facta conspiciuntur, ad alia properemus.

CAPVT

CAPVT XI.

De aduentu S. VValpurgis ad Eystett, & altera translatione eiusdem.

POstquam autem beata VValpurgis fines Eystettéses est per semetipsam visere dignata, fratris rura reuisens, ab omnibus gaudenter necnon reuerenter acceptata est. Vbi Episcopum eiusdem ciuitatis processionaliter cum toto clero obuiam habuit; quantoque gaudio populus Eystettensis ob præsentiam sancti corporis Walpurgis beatæ refocillatus sit, nemo explicare valet. Cùm autem corpus prædictæ Virginis interiori portæ ciuitate Eystettensis, quæ vulgariter Innerwesten Thor vocatur, applicuisset, præcedente solenni processione, versus Ecclesiam sancti Willibaldi fratris eius, ad quam dictus Episcopus corpus eius transferre nisus est; tunc equi feretrum portátes laxatis habenis, seu frenis dimissis, nullo gubernatore regente, ad quãdam Ecclesiam, in monticulo circa eandem portam sitam deuenêre, ante ianuam eiusdem Ecclesiæ immobiles stantes. Quæ quidem Ecclesia tunc *sanctæ Crucis*, nunc verò sanctæ Walpurgis nomen sortita est, & sic vocitata vsque in hodiernum diem. Ad quam Ecclesiam sanctissimum eius corpus translatum est & summa cũ reuerentia per eundem Ockarium Episcopũ sextum, (qui sedit in Episcopatu viginti quatuor annis, & obiit Anno Domini octingentensimo octogesimo, cuius translationis dies agitur * quarto Idus Octobris) reconditum, vbi hodierno die quidam circulus ex lapidibus factus cum imagine sanctæ Walpurgis euidéter apparet; in quo quidem

Corpus S. VValpurgæ Eichstadium defertur. Excipitur cum processione.

Equi portantes reliquias ad Ecclesiam S. Crucis diuertunt.

* *12. Octobris.*

dem circulo corpus eius quieuit, donec Episcopus Eystettensis chorum cum summo altari congruo tempore funditus, ob honorem sanctæ Walpurgis, prout hodiè cernitur, restauraret.

De Erchanboldo Episcopo Eystettensi, qui successit Ockario.

CVm autem idem Ockarius Episcopus, anno Domini octingentesimo octogesimo, Deo vocante, de hoc exilio migrasset, quidam nomine * *Gotteschalc* successit, qui sedit annis tres. Deinde quidam * Erchanboldus nomine, ei in Episcopatu successit, qui sedit annis viginti. Ergo voluente temporum climate contigit, quod memorata sanctimonialis * Luibilla de Monheim, à propinquis & affinibus, nec non & aliis circummanétibus, ita foret arctata, vt etiam vi siue ingenio à materna eam prope expellerent hæreditate. Verùm illâ totis viribus reluctante, incidit ei diuinitus salubre mentis consilium, vt à venerabili, qui adhuc Eystettensis sedis infula decoratur, Erchanboldo Pontifice, sanctæ Virginis reliquias Eystett reconditas, licet anxia, postularet, vt si diuino munere concedente, eius mereretur ditari cineribus sacris, proprij solatia ruris Deo & Virgini consignaret, & in manu Pontificis donatiua in perpetuum traderet. Quod quia à Deo sumpsit initium, ab ipso finis meruit obtinere augmentum. Et licet prius tentando difficillimum videretur, felix tamen & desiderabile votum felicem sumpsit effectum.

* Godescalcū nominat Bruschius, addens, eundē ab Imp. Carolo crasso Eystadianę Ecclesię prefectū.
* Hunc Erchāboldū ex posteris Caroli magni summo loco natū scribit Brusch.
* *seq. sunt in M. S. B.*
* Luibila. *Liubula petit reliquias vel aliquid de reliquiis S. VValpurgæ, pro solatio, & subsidio contra aduersarios.*

Accepto præterea idem Episcopus Erchanboldus super hoc negotio Regis & regalium virorum consilio, Virginis

Virginis * patrocinia sancta se daturum esse promisit: quod & opportuno tempore postea fecit. nempe obtétâ à Sede Apostolica * canonizatione eiusdem sacrę Virginis Walpurgis; quæ quidem canonizatio facta est modico elapso tempore, ipsa die Apostolorum Philippi & Iacobi. In quo vsque hodie celebratur festum canonizationis eius. Cuius rei gratiâ eodem die omni anno, processio solennis ab Ecclesia Cathredrali, per Episcopum & Canonicos fit, ad Ecclesiam parochialem sanctæ Walpurgis, ibique officium diuinum summâ cum celebritate à Canonicis perficitur, eisq; Reliquiæ, seu stillicidium eiusdem sanctæ Virginis ad potandum ministratur.

* Reliquias.

Canonizatio S. VValpurgæ, Sub Ockario, siue Odgero S. Walpurgam canonizatam ab Adriano II. notat Brusch.

Festum S. VValpurgæ primo Maij est Festum Canonizationis eius.

Canonici bibũt de oleo S. VValpurgæ.

CAPVT XII.

De vltima translatione seu eleuatione S. Virginis, cum eius reliquiæ summo altari monasterii S. Walpurgis ciuitatis Eystett. sunt imposita:

De secunda translatione seu eleuatione sanctæ VValpurgis, quæ in Eystet de pauimento in altari sit posita, & vna pars Luibillæ tradita, & ad Monheim deportata, vbi tam in itinere versus Monhiem, quàm in Ecclesia ibidem multis claruit miraculis.

ANno ergo ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi octingentesimo nonagesimo tertio, indictione tertia, regnante felici prosperitate, Arnulfo serenissimo Rege, apertum est mausoleũ

 beatæ

beatæ VValpurgæ virginis in basilicâ, in qua locata fuerat Eystet, tempore Ockarij Episcopi sexti. Mittens igitur prudentissimus ac sagacissimus in omnibus negotiis Erchanboldus, Episcopus octauus, viros religiosos, archipresbyteros, cum aliis boni meriti suos, ossa dicata sacræ virginis iussit inquiri, & inuenta diligenter attrectari, summâque cum reuerentiâ partita recondi, ita vt optatæ diu Reliquiæ darentur Luibillæ, & thesaurus eiusdem corporis per sæcula suæ seruaretur Ecclesiæ.

Hi deniq; ad quos iussio peruenit Antistitis, eadem ocius, licet corde simplici titubantes, accelerare curarunt. Cumque se totos dominicæ miserationi committerent, & in Psalmis & hymnis sine cessatione persisterent, fodientes inuenerunt cineres amplectendos beatæ matris nostræ Walpurgis, quasi limphâ tenui madefactos, & quasi guttatim ab eis roris stillæ extorqueri valerent. Qui licet tantâ essent humiditate referti, nec puluiculus tamen manibus contrectantium quoquo pacto voluit adhærere.

Reliquia S. VValpurgis oleo quasi rore madent.

De portione seu particula Reliquiarum data Luibillæ.

SVblata demum pro qualitate incomparabilis thesauri desideratissimâ portione data est Luibillæ, quæ cum magnâ exultantium gloriâ deferretur ad sæpedictum monasterium puellarum * Monheim, vbi in itinere, in villâ sancti Bonifacij, quæ dicitur Mülhaim, in quodam caduco miraculum fecit, cum multis aliis miraculis, prout in primo libro de miraculis sanctæ Walpurgis, capitulo octauo cum sequentibus habetur.

* Monheim est ciuitacula sub ditione comitis Palatini Neoburgici, non procul à Wendinga Bauariæ, in qua tamen iam nullum exstat Monasterium, fortasse temporum iniuria aut bellorum tumultibus, vel etiam Hæreticorum impietate, alioue modo simili; vt plurima alia diruntum. *Reliquiæ S. VValpurgis caduco morbo laborantem curant.*

De

De Reliquiis sanctæ VValpurgis summo altari impositis.

QVis verò mœror, quæue angoris tristitia Eystettenses inuaderet Ciues, cum tanta pignora Luibillæ partirentur, putantium Dominam Walpurgam sibi penitus esse ablatam; donec pectoralia sanctæ VValpurgis visibiliter summo altaris sarcophago, ad perpetuam sepulturam sunt tradita. De quibus mirabiliter Deo cooperante, vsq; in hodiernum diem manat sacrum oleum, seu stillicidium, in signum castitatis: & maximè tempore, quo in eodem altari sacrum Eucharistiæ conficitur Sacramentum. Quod quidem stillicidium ægris & prægnantibus dignè sumentibus permaximæ præstat sanitatis augmentum. Cuius rei gratiâ singulis annis, in die sancti Marci, nec non * in die canonizationis sanctæ Walpurgis, Episcopo Eystettensi, & Canonicis, haud non Sacerdotibus & Clericis processionaliter in eâdem parochiali Ecclesiâ sanctæ Walpurgis conuenientibus ad diuinum officium deuotè peragendum, sumendum porrigitur in remedium tam corporis, quàm animæ.

Oleum ex Reliquiis S. VValpurga.

* Primo Maij, vt supra.

Processio ad S. VValpurgam.

Ipsum quoque oleum, seu stillicidium prædictum, si ab aliquo portatum, vel tentum in vase, fuerit irreuerenter tractatum, aut quid inhonestum circa illud perpetratum, euanescit: Quod pluribus per experientiam claruit, & nostris temporibus edoctum est. Quare summâ cum reuerentiâ seruanda, & in loco sacrato conseruanda locetur.

Oleum S. VValpurga irreuerenter habitũ euanescit.

Reliquiæ S. VValpurgis per totum mũdum dispersæ.

Reliqua verò pars Reliquiarum Sanctæ Walpurgis, præter illas per totum mundum dispersas, maximo cum honore seruantur in quadam arca, per ipsas sanctimoniales in altari chori earundem, in ipso * Cœnobio sanctæ Walpurgis Eystettensis ciuitatis, ordinis sancti Benedicti, sub regulâ obseruantiali deuotè degentes, die noctuq; Deum laudantes, qui ipsum Monasterii locum per sanctæ Walpurgis virginis corpus illustrauit. Quod vsque multis miraculis coruscauit, hodieq; coruscat, pro quibus sit laus Deo per infinita sæcula seculorum, Amen.

* Huius Cœnobij primus fundator audit Ockarius VI. licet Anno 1034. ab Heriberto Episcopo auctum & per Leodegarium comitẽ de Lechesmund liberaliter fuerit dotatum, non fundatum, vt vult Lazius.

Finis Historiæ de Vita S. VValpurgæ.

De

De miraculis S. VValpurgis Virginis,

Libri quatuor,

AVCTORE VVOLFHARDO HAsenrietano presbytero, nunc primùm integrè in lucem editi.

Præfatio Auctoris,

DOMINO BEATISSIMO, DEOQVE VERE DIGNISSIMO ERCHANBOLDO PONTIFICI, WOLFHARDVS PRESBYTER suus, in ipso qui est via, & veritas, & vita, viam, veritatem & vitam deposcit invenire.

Hæc Præfatio deerat in M.S.C. Walpurg. Nos tamen eam hic adiicimus, vt Episcopalis auctoritas maiorem subscriptis Miraculis fidem faciat.

EXigis à me Pater per sæcula memorande, & Præsul nominatus in orbe, vt signa atq; portenta, quæ per inopinatissimam, nunc in sæculo Christi, Virginem VValpurgam, nostris temporibus diuina peregit clementia, cura diligentissimè indagata ad laudem & nomen viuificæ Trinitatis, nec non ad excitandos animos Do-

minicæ plebis, prout eadem contulerit liberalis & Deifica Trinitas, scedulis annotare decertem. Grauis siquidem graui scelerum pondere prægrauato à te mihi imponitur sarcina: quoniam peccatis obnoxio horrendum est tractare de sanctis, & miscere aliena non propriis. Verum quoniam gloriosissime Pontifex virum desideriorum *te fore comperio, & cum Daniele Propheta semper noua de abditis indagare, curiosius cerno, arctor nimis, & immensis circumquaq; septus angustiis, quid eligam penit' ignorans. primum oppilatam pudore mentis faciem obfirmo: quoniam indignum me esse non ambigo: dein obedientiæ norma primam humilitatis aspiciens gemmam, si iubentis dicta superbâ aure contemnam, timeo ne legem præuaricationis incurram: Tum ad memet clauum retorquens imperitiæ infirmitate languesco, inde imbecillitati, necne scrupulositati meæ vires haud proprias, sed Olympiacas obiicio. Rursus si aggredi, licet trepidus, pertentauero, ne à Lectore philocompica noter infamia perhorresco, dum omissis Philosophicis, ac præclaræ indolis pluri-*

*mis viris, qui in * prophetiis* calami *nomine designantur, ego qui nec viridis iunci extimo vocabulo mereor titulari, incompto arduum opus exordiar stylo, & dum mundialium plurimorum indomita superbia, quæ Sanctorum vitas ac vias calce proterit petulanti, & mira eorum, si qua audierit pediculosa aure percipit, audiens me inaudita, & tamen veracissima in patulo proferre prodigia, canino incipiat dente corrodere, & verissimis falsa præferre. His atq; aliis innumeris vallat' angustiis, quia sum refertus contagiis, ac si ericius spinis, vt verbis Salomoniacis loquar, frequentiua meditatio mentis meæ est afflictio carnis.* * Psal. 44.

Eccl. 12.

Quocirca ad arcem confugiens, his verbis clamabo ad Dominum: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam: *vt ipso adiuuante, cuius sum, licet labilis carnis conditio, iussionis tuæ persoluatur exactio. Commendo ergo me iterum atq; iterum meritis Virginis, & tuis, Pater, precibus indefessis, quo mihi eundi impetrent callem, & felici itinere perducant ad calcem.* Psal. 50.

LIBER

LIBER PRIMVS,

Index capitum libri primi.

CAPVT PRIMVM.

De eo, vbi caducus Reliquiis Virginis obuians, curatus est.

INterea dum tanta optati muneris patrocinia, cum magnâ exultantium gloriâ, deferrentur ad iam dictum monasterium puellarum Monheim, vbi ventum est ad villam sancti Bonifacij, quæ dicitur Mülheim, quidam caducus puer onerato sacro pondere feretro obuiauit, & sub eodem positus, ipsam quam quæsierat, sanitatem recepit. Tum subitò * tanta vis in eodem loco fragrauit odoris,

* *M.S.B. addit* vt commeantes hodieque fatentur.
Suauis odor ex Reliquiis.

vna-

vt nares portantium, præeuntium, & sequentium feretrum vix ferre potuissent.

CAPVT II.

De caduco similiter curato.

EOdem verò die, priusquam Ecclesiam, ad quam ferebantur Reliquiæ Virginis, inferrentur, paruulus quidam nomine *Rudolfus, qui adhuc incolumis, restitutâ tripudiat vitâ, eâdem, quam supra taxauimus, passione quassatus, & à matre illò vsque perductus, dum feretrum attigit, omnem membrorum sanitatem recepit, & ad domum vnde venerat, hilaris recucurrit.

* M.S.B. Rodolfus.

Alius Epilepticus curatur.

CAPVT III.

De Abbatissa Luibilla podagrica curata.

POstquam ergo eiusdem Virginis sacrosancta xenia in * basilicam, quæ sita est in honore opificis & Saluatoris Domini nostri Iesu Christi cum populi laude plenariâ, sunt super altare locata, nocte sequenti, dum memorata sanctimonialis Luibilla, quæ in ipso monasterio tunc erat * Abbatissa, cum aliis Deo sacratis fœminis, in ipso oppido, propter traditionem, quam fecerat beato * Willibaldo, iure hæreditario eiusdem Monasterij, sicut lex Sualaueldica continet, moratura tribus in domo extraneâ noctibus, sopori se dedisset, grauique incommodo podagræ quateretur; astitit ei quidam veneranda canicie Clericus, qui eam ita compellans, ait: Luibilla, cur dormis? quare non surgens ad Ecclesiam pergis? Cui illa, vt hactenus asserit, similis dor-

* Loquitur de Basilica monasterij Monheimensis.

* M.S.R. habet & adhuc permanet.

* M.S.B. Vuiliboldo.

Visio Luibillæ.

mienti, respondit: Vt quid nunc ad Ecclesiam eundum est, cùm signa matutinalia necdum sint pulsata? Ego quippe nec* illuc incessu pedum pergere valeo, nisi manibus aliorum delata* fuero. Qui ait: Vade celeriter, ne moreris, quia beatus Willibaldus Ecclesiam cum multo agmine petit, qualiter sanctam sororem suam reconditam habeas, à te curiosè perquirere volens. Quæ statim ac si nihil incommodi pertulisset, exsurgens, & de loco ad locum exsiliens, basilicam ad quam tendebat, sanissima ingressa est, Deoque simul grates & Virgini, pro adeptâ sospitate rependit.

* M.S.B. illic.

* M. S. B. exstitero.

CAPVT IV.

De contracto curato & erecto.

Qvidam namque pauper nomine Leipolfus ex vtero genitricis parientis ità contractus, & curuus est natus, vt quasi monstrum aliquod cerneretur à cunctis. Qui dum inter plures, qui ad patrocinia virginis conuolabant, in eodem monasterio, victus pariter & remedij quæreret solatium: quâdam nocte, dum lectisternia dormiens premeret, beata Virgo Walpurgis ei per visum apparuit, & vt ad Ecclesiam pergeret, imperauit. Quo respondente, * sese algoris caniciem perhorrescere, & glaciales iniurias formidare, ideoque nec à loco quietis audere saltem exsurgere; illa ad eum blandis eulogiis inquit: Vadens vade, miselle, celeriter; quoniam ego, à te illo, quo nunc premeris, algore deterso, feruidam membrorum compaginem ministrabo. Et huius in recompensationem mercedis, scabella mihi, quibus adhuc curuis artubus * vteris, donare debebis. Qui licet segnis Ecclesiam introiuit, & paululum commoratus, inde

* M.S.B. non habet, sese

* C. in marg. addit: & manibus

inde ad hoſpitale, vnde venerat, anxius rediit. Surgente verò optatæ aurora diei, iterum baſilicam adiit, & ante feretrum virginis beneficium accepturus acceſſit.

Circa tertiam verò horam ſubitò palpitando ſe volutare cœpit, & in pauimento reflectere. Cum ecce * tripediæ, quibus ſua vſus eſt in vita, diuinitus è manibus ac ſi euulſæ, ante altare proiectæ ſunt. Sicque membris omnibus ſolidatis atque erectis, ſtetit, * & ambulauit qui prius natibus miſerabiliter repens, prioris vitæ ſuæ curſum laborioſum impleuerat. Idem namque ſanus & valens, in miniſterio eiuſdem vſque hodie deſeruit Eccleſiæ; vt cunctis liquidò demonſtretur, qualis, cuiuſue meriti apud Deum hæc ſancta ſit Virgo, quæ huiuſmodi & ſimilia impetrare meretur.

* Paulò ante vocabantur ſcabella. Germ verſ. Schemel oder Dreyfüſſ.

* *C. ex R. in marg. addit:* in gradu ſuo

CAPVT V.

De cereo cælitus illuminato.

HOc igitur patrato miraculo * Adalbertus Alamanniæ Comes illuſtris, illò vſque deuotus aduenit, cereum non modicum detulit, & * altari pronus impoſuit, pro ſe ſuiſque ſuppliciter Dominum & Virginem exorauit; ſicque benedictione potitâ ad propria remeauit. Suſcipiens autem eandem candelam Luibilla, quia præfato Comiti familiariſſima eſt, & cara, candelabro erexit, & inaccenſam tunc fortè reliquit. Quarto verò die cœlitus lumen accepit, tribuſque diebus & noctibus * in eâ lumine perdurante, quarto, nemine emungente, extincta eſt. Horâ autem, qua diuinitus comas radiantis ignis ablambuit, videlicet nonâ, ita ſe ſponte * oſtia obſtruxêre Eccleſiæ, vt nullus infra duarum fere horarum ſpatij quantitatem patula habere meretur

* *M.S.B.* Adalpertus *C.* Adelbertus.

* *M.S.B.* altario

* *M.S.B. & C.* in eo

 reretur

reretur & præuia. Deinde is, qui obstruxit Christus, aperuit, & patentia intrare volentibus fecit.

CAPVT VI.

De matre & filia.

DVæ præterea Virginis præsidia requirentes illuc deuenêre mulieres, mater cum filia, vtraque manuum curuedine inhonesta, de vico, qui dicitur * Wendigen. Hæ dum erectis in cœlum oculis cordis, auxilium ab ipso, qui fecit Cœlum & terram, supplici deuotione deposcerent, & missarum solemniis interessent, diuina meritis Virginis affuit virtus, & in exordio festiui Missæ concentus, mater adepta est sospitatem, laudans Deum & virginem.

* M.S.B. Wemedinga; Hodie non inelegans Ciuitas in confinibus Bauariæ, eidem Principi parens.

Tum nata parentis dubios in tremulo pectore animos gestans, & fluctiuagâ mente consistens, ineffabile ei de matris redditâ sanitate tripudium intulit; de sua verò nodosa contractione gemebat. Videbat iam suam, quam natura dederat, genitricem oppansis manibus cæli benedicere conditorem: Verùm adhuc in se misella cernebat regnare curuedinem. * Hac dum sæpius nutabunda mente reflectens consisteret, finito eiusdem Missæ Canone, ab ipso qui se initium & finem voluit propalare, & ipsa sanitatem meruit obtinere. Tunc eadem mater cum filia, moniales cum * matre Liubilla, necnon & astans omnis communis sexus familia, exultantibus animis, cum hymnis & canticis reddiderunt Domino laudes in cælis, qui solutionem tribuit compeditis, & erectionem largitur allisis.

* M.S.B. Hæc.

* In M.S.B. deest matre

CAPVT

CAPVT VII.

De muliere paralytica.

ELata est ad idem monasterium mulier quædam, nomine * Reigisvvindis, quæ ipsius est vicina * Ecclesiæ, ita membris omnibus destituta, vt nisi vehiculo, duobus scilicet deferentibus, lacertis insertis, & altrinsecus oneratis, quoquo pacto illò prouehi potuisset. Quæ ante altare adhuc feretrum Virginis continens, à suis diligenter exposita, gratam, VValpurga interueniente, à Domino statim adepta est sospitatem, & omnes, qui interfuêre, audierunt largitori salutis eam gratias referentem.

* *M. S. B.* Reginsuindis
* Monsheimensis

CAPVT VIII.

De claudo curato.

FVit quidam vir de vico vocamine* Megenshaim, nomine * VVolffgerus, qui pedem vnum super alterum ita connexum habuerat, vt infra septem annorum lacrimosum illi * circulum, sedens, nunquam cibi edulium sumere potuisset. Mirum enim in modum pes vicino & comiti pedi inhæserat, & residendi quietem morbus insaniens claudicanti negauerat. Is ad iam dictum sacræ virginis * *arcisterium*, opportuno temporis climate, veniens, & non ambulando, sed quasi cum baculo miserè saliendo, spatiosa interiacentia rura perlustrans, totum se illius piæ miserationi contribuit, statimque salutem ambulandi recepit.

* f. Merasheim pagus nô longe à Monheim dissitus, Episcopo Eystetten. parens.
* *M. S. B.* Magerichesheim
* *M S. B.* Wolskerus
* *M. S. B.* Curriculum
* Ponitur & hic & alibi in hoc commentariolo, vt & in vitis patrũ pro monasterio: tametsi German. vertit: ein Sarch.

CAPVT IX.

De muliere, cuius crus confractum est.

EST vicus, * qui ab incolis appellatus est * Bergila, vbi quædam exstitit Fœmina, quæ * Engilsvvindis est nuncupata. Hæc dum à loco ad locum equitans pro oportunitate negotij adiacentis festinare voluisset, equo, quo iam casura in proximo residebat, lapsu agili & horrendo delapsa est. Crure namque pauidi corporis, huiusmodi præcipitio ruinæ confracto, & artuum omnium baiulo eidem miserè immutato, quæ alienis conata est incessibus vti, duorum annorum vergente reflexu, propriis haut meruit * frui. Tandem miserator & misericors Dominus iniuriis miseræ solita pietate compatiens, Virginis suffragantibus meritis, metam lacrimosi ei voluit præstare doloris. Dum igitur lucifugæ noctis teterrimum chaos, diei gratiam molestasset, & membra languentia eadem statu singultuosô componeret, ac palpebris * tremulosis quietis saltem gratiam degustasset, astitit ei Domina Walpurgis, quæ nobis * à Domino condonata est venialis, veniam munifica repromittens, si dubietate semota fidem panderet cordis.

* M.S.B. addit in Francia siue Franconia.
* M.S.B. Bergilla
* M.S.B habet Ingelsuindis
* M.S.B. addit gressibus.
* M.S.B. habet tremulis
* M.S.B. Videtur habere ad omne donata est, &c.

Vade, inquit, muliercula * grata, ignara salutis, & archiatrum tuæ stude perquirere sectionis, & dum eum ad huiusmodi officium liberalem inueneris, * desecata tibia intus abstractis ossiculis, salutis à Christo postmodum gratiam impetrabis. Tum illa, vt audiuit suæ remedium sospitatis, totis nisibus Omnipotenti grates rependens, suffragium accelerans adiit archiatri. Complens denique visionis iussa salubris, & ossibus minutis euulsis, pristinæ gratiam indepta est * sanitatis. At vbi vidit

* M.S.B. habet gratæ.
* M.S.B. addit latentibus.
* M.S.B. sospitatis

vidit diuinæ * miserationis subsidium affuisse, lætabunda & laudans, incessu pedum, Virginis monasterium adiit, rei gestæ seriem patulè perorauit, & oblationibus, quas detulit, altari impositis etiam partem confracti cruris ad indicium veridicæ assertionis ostendit, ibique sui corporis vehiculariam partem relinquens, partem reuocauit ad patriam. Quam ancilla Christi Luibilla partem assumens, argento fabricare præcepit, & in eadem suspendit, vt si quis hoc audiens incredulâ mente perstiterit, illò veniens, oculos suæ cæcitatis aperiat, & dum * cernerit partem fœminei corporis muro dependere fabricatam, * tandem confusus abscedat, & de suâ stoliditate veniam deprecans, erubescat.

* *M.S.B.* addit ei

* *M.S.B.* cręuerit

* *M.S.B.* saltem

CAPVT X.

De VI. signis in vna muliere factis.

FVit etiam mulier quædam de villa quæ dicitur * Stopfenheim, nomine Geila, in qua bis terna Dominus per beatam Virginem * Walpurgam operari dignatus est signa. Nam cum festus Dedicationis eius Basilicæ dies & annuus adueniret, & omnes qui nouerant Deum & Virginem, in hac eâdem festiuitate celebri venerantes ferialem ducerent diem, illa contumaci & irreuerenti eam fronte despiciens, * Zetas hiemales & operosas ingrediens, * curceboldum, quem prius ad texendum erexerat, flexis digitulis texere cæpit.

* Oppidũ castro pervetusto insigne, nõ procul a Weissenburg ciuitate Imp. Elingensi Domui equestris ordinis Teutonicorũ hodie subiectus.

* *M. S. B.* Waldpurgam.

* Zeta, seu Zæta est hoc loco ein Winterstuben/ *hypocaustum hiemale.* Glossarium Camberonense apud Rolvveidum in Onomastico ad vitas Patrum. *Zeta hyemales, domus, quas calefacit subductus ignis: Zeta æstiuales sunt, quas infrigidat aqua subducta.* Edit. Canil. vitiosè, *Thecas.*

* Edit. Canis. Ercheboldum. Germ. versor reddidit den Rictkamp. Forte est, quod vocamus, den Weberstuel.

Vbi

* Glomex Germ. Vers. Schoßpulen. Vbi cum duabus vicibus ex * glomice siue trama, quam manu tenebat, in telâ fila transponeret, hæsit miseræ insertus manui glomex, & intumescente eâ penitus cum
* Pro manicâ. Germ. Versio. Ermel. lacerto, hæ, quæ affuerant, mulierculæ * mancellam ei à manu præuaricatrice & tumidâ dissuerunt, & cubitali subuculæ reponentes, tristes hanc mæstissimam reliquêre.

Vbi verò rutilantis munus diei noctis densa caligo fuscauit, dum membra lectulo pausanda dedisset, visum est ei, quòd quædam in ipsâ, in quâ glomex hæserat, ma-
* M.S.B. Columbula nu, * columba grata grana colligeret; quam etiam puellula abigere voluisset. Tum nescio qualiter * mancella,
* Manica. quæ prius tumenti dexterâ dissuta exstiterat, loco aptata priori, eodem quo prius tenore connexa est. Vnde tam ipsa, quàm cuncti qui videre, satis mirati, ad Virginis auxilium cum eâdem ocius conuolârunt. Cumque misericordem Dominum pro miserâ pronis mentibus implorarent, obuia illis illico eius exstitit miseratio, & deciderente eodem glomice temerario, sana inuenta est manus cũ brachio. Ipsa verò tantam in se cælitus gestam virtutem oculis cordis penitus non aduertens, verum ad locum suorum solamine, vnde venerat, venire contendens, cùm mancellam, quam supra taxauimus, quæ prius in loco inuenta priori consuta, se sponte dissuerat, arrepta acu suere voluisset, vt nec eadem saltem ad monimentum ipsius Oratorij remaneret, ad tertium ictum miserabilis puncti ita manus inuenta est cum brachio curua, vt inueniretur inter ascellam arctius fixa. Inde temera-
* M.S.B. deferens ria & admodum stolida secum * perferens detrimenta, ad suffragium Virginis est deuecta. Post vires, amittente nodosâ curuedine, sanitatis est ibidem donata pulchritudine.

Verùm

Verùm nec sic his duobus territa miraculis misera; & iterum redeundi ad propria iter aggredi nisa, vltio, quam meruit, statim eam secuta est inaudita. Nam orbes, quos ei visionis munere, mater natura contulerat, domesticas domunculas deserentes, & locellis à cognitis, cæcigenâ fœditate vrgente, penitus exsurgentes, genarum receptaculo vicinarum tetri effecti sunt hospites. Sicque dum ei lumen lumina subito * abstulerunt, horrendâ eam castigatione multarunt.

* M. S. B. Subtraxerunt.

Mirum nunc dicturus de Virgine; Christum attentiùs inuoco, vt ipse, qui mihi sensus igniculum contulit, vera scribendi munus indulgeat, & veritatis lumen ostẽdat. Ergo dum hoc sanctimoniales attonitæ cognouissent, ad solita eam pendulis luminibus detulère præsidia Virginis; vt ipsa, quæ ei propter arrogantiam suæ stolidissimæ mentis detrimentum contulit cæcitatis, piæ in eam panderet viscera miserationis. Quid plura? Tunc Walpurgis mater, & pia omnium se quærentium educatrix respexit miserando ad miseram tetrâ caligine pressam, & oculos luminis dignitate priuatos, & locis non propriis hospitantes, reuexit ad sedes, & * soliculos in capitis arce rotantes solis radios fecit esse videntes.

* Edit. Canis. vitiosè, *Folliculos*, Rectum est *soliculos* diminutiuum à sole.

CAPVT XI.

De muliere curatâ.

Mvlier quædam * Francigenâ tellure exposita, verũ * attactu grauis incõmodi miserabili agitatiõe perculsa, brachij dextri familiare officium perdidit tremebunda. Exinanito nempe emortui lateris ei climate dextro, nec ad os saltem proprium, languen-

* Franconiam intelligit, quæ Francia Orientalis dicitur: vulgo Franckenland.
* M. S. B. ad tactum. C. ut actu.

tem ac vacillantem quibat tendere manum. Hanc sui vota* felicia percomplentes, summa cum festinatione ad Virginis Oratorium deduxerunt. Igitur veniens, & alta ex imo pectore suspiria trahens, vtque ei Opifex patrocinio Virginis opem ferret, sedula mente deposcens, erexit se, atque ad altare fideliter fidelis accessit. Quædam nisu, quo potuit, *facitergium, quod pro munere detulit, aræ salutari agitando imposuit, sanitatem plenissimam statim recepit, & gratias agens, ad locum vnde venerat repedauit.

* M.S.B. fidelia.

* Strophiolũ.

Verùm non multò explicito temporis incremento, dum intuens cupida mente Dominus eius carnalis, membris omnibus fore valentem, ad debitæ eam seruitutis iura reflecteret, prior articulata manus cum brachio, quæ beneficij cælestis potita est dono, quasi iniuriam cæcæ cupiditatis illatam ferre non valens, horrenda mox curuedine sese retorsit, & violenta contractione vrgente, ventretenus depependit; quo etiam hæsit, & sic impressa demersa est. Tum cernens Dominus ob sui reatus admissum, medelam, quam meruerat, fœminam perdidisse; imo pœnam quam non sperauerat, accepisse, votum Domino ex animo vouit, vt si beatæ Walpurgis opitulantibus meritis, eandem sui iuris famula reparari mereretur, vinculo seruitutis euulsam, libertatis tabulis eam ocius condonaret. Mirum in modum statim, vt portis ei ingenuitatis apertis, ciuis est effecta Romana, illa quæ prominenti fuerat ventri inserta manus est erecta, & priori officio restituta. Hæc duo in vna sunt fæmina patrata miracula, & euidenti ratione comperta.

CAPVT

CAPVT XII.

De quodam fastidioso.

QVidam nomine Erchanboldus, qui hactenus vitâ sanissimus iocundatur in ista, de vico, vocabulo * Mura, illic auxilium à Domino requisiuit, & cum fide postulans celerius reperit. Is ita fastidij notatus est morbo, vt expletis viginti septem, vt ipse testatur, hebdomadibus plenis, nec panis edulium sumere potuisset, nec carnis quadrupedum, aut volucrum, siue piscium refectione humanâ qualibet frueretur. Haustum quoque vini vel siceræ, nullatenus ore contingeret, nec tamen gressuum communium munere fraudaretur. Tantum leguminis modico, & ouorum medicullijs pendulo corde contentus, vix viscera languentia refouebat. Ergo dum idem iam tenui carnis velamine tegeretur, & gelida creberrimè flamina corpus inane frigescerent, licet lento gradu potiretur, metam tamen operiebatur egressus. Tum subitò membris tepido sopore depressis vox eum ita blanda & lenis quædam aggreditur: Cur, inquit, desidiâ languescis inepta, & salutis curâ postpositâ tua de remedio desperas in vita? Age ergo quod moneo, iam de corporis reparatione securus, & ad monasterium Monheim vade festinus, ibique benedictæ Walpurgæ Virginis Christi reparaberis precibus. Cumque illò celerius veneris, tres sanctimoniales iuxta altare eiusdem inuenies Virginis, quæ de altaris calice consecrato tibi poculum propinabunt. Quod cùm fecerint, vescendi pariter ac bibendi vsum communem sine dalatione recipies.

* Duplex Mura hodie duob' castellis nõ procul à se dissitis visitur in Monarchiona tu Ansbachensi nobili familiç Lédesheimiorum subiecta.

Hoc igitur salutiferæ vocis actus impulsu euigilans, summâ cum celeritate ad iam dictum Monasteriũ se* postulat adduci. Veniens autem pronus orauit, visionem quam viderat, eisdem iuxta altare positis sanctimonialibus tribus per ordinem pandit, & de calice vini gustum sedulus exquisiuit, quem & accepit. Mox igitur vt vini liquorem anhelantia eius guttura glutierunt, comes ei panis affuit fames: & qui tantum Dominici corporis Sacramentum vorare ante nequibat, * farrea postea famelicus dona quærebat. Manducauit planè in eodem loco & bibit, panemque & vinum, quæ ei munera morbus, æui quantitate, negauerat, auxilio Virginis Christi implorabat. Sicque adepta, de qua prius desperauerat, sospitate, ad locum vnde venerat, cum nimia rediit exultatione. Si quis ergo hæc ita gesta mente obstinata non credit, eundem ipsum interroget dum adhuc viuit. Nam & locum hic exaratum, inuenit, vbi degit, & vocabulum dum istud requirit, aut perlegit, audit.

* M. S. B. postulauit.

* M. S. farrifera.

Explicit liber primus.

De

De Miraculis S. VValpurgæ,

LIBER SECVNDVS.

Incipit Præfatio libri ſecundi.

OPeræ pretium duxi, quoniam mira, quæ per ſuam famoſiſsimam Chriſtus quotidie operatur & operatus eſt Virginem, iam pridem tenui chartula colligere cœpi, vt ea quæ ſunt indaganda requiram, & diligenti appoſita vigilantia, prout vires ſuppetunt, indagata perſtringam: Non quò quiſquam, vt reor, talia ac tanta, quæ hactenus patrata ſunt, in præfato Monaſterio, Virginis ſuffragantibus meritis ac diebus penè ſingulis patrantur prodigia, ex aſſe valeat explicare; quippe cum tanta ſint numeri quantitate, vt vix valeant promi elogio linguæ.* * Eloquio.

Verùm vt ſponſio humilis, patris præcepto pareat imperantis, & pedetentim lepidi viam carpat & cæpti itineris, vt quò tendit, Trinitatis* opifica dirigatur auxiliis.*

* C.C. habet humiliter

* M.S.B. habet opifici

*Curiosum cæterum lectorem secundum incipiens libellum admoneo, vt barbarismorum fœdam congeriem in hoc opusculo floccipendat, & veritati in vulgari eloquio fidei aurem apponat, & quod hic inuenit, simpliciter perlegat, & acsi in sterquilinio margaritam * exquirat: sicq́; fit, vt & sua fideliter tollat, & nostra incontaminatus omittat. Cerifera namq; sæpius apes, licet obstrusis vasculis hybléa mella diffundant, cloacis tamen squalentibus insidere non recusant.*

* M.S.B. quæ-ras

Index capitum libri secundi.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

*De muliere quæ * risile perdidit.*

ANno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi, * octingenti nonaginta quatuor, indictione tertia, regni quadrimodi, Arnulfo retinente dominium, Anno octauo, quo obtinuit principatum. Eystettensem, procurante Erchanboldo famoso Episcopo præsulatum; quædam votiua complens desideria mulier, cum eo, quem nuptialis copula ei dederat viro, Dominum, qui propè omnibus se est inuocantibus in veritate, imploratura, iam cunctis penè cognitum adiit Monasterium nostræ & multorum fidelium matris. Vbi dum pro commissis à primæuâ viredine facinoribus vniuersis rea tunderet pectora pugnis, ac sæpius sæpiusque interuentiones piæ quæreret Virginis, benedictione solita munerata, vehicularia petiit adiumenta.

* *Risile, Germ. vers.* ein gůlden Hefftle.
* *M S. B.* DCCC.XC.IIII
* Lege octingentesimo nonagesimo tertio, vt habet editio Canisij.

Viam ergo, qua venerat, lætissima carpens, & de his omnibus, quæ audierat & viderat plurima, mente reuoluens, in prima reuersionis mansione * *risile*, quo super aurē orale confixerat, casu perdidit accidente, * eadem, qualiter perdidisset penitus nesciente. Hęc dum viro suo factum clanculè fateretur dispendium, ille concorporalem sibi & gratissimam coniugem mox improuida notauit incuria, & leni modulatæ vocis increpauit eloquio: Cur more lasciuientium puerorum illud, quod secum tulerat, perdidisset incauta. Tum illa ad præsidium rediens, quod prius requisierat, matris, inquit: Si tuæ, Domina Walpurgis, misereri * dignaris ancillæ, & vocem audire

* *Germ. Vers.* zwölff gůlden Hefftlein.
* *C.* ipsa
* *M. S. B.* dignaris

audire disponis indignæ, damnum mihi rei reparato præsentis ademptæ. Hæc dum verba, vt reor, plenissimè fidens in Virginem æstuanti pectore citius perorasset, iacens ante simul discumbentes eos pariter, patensque apparuit *risile*, non aliud, non mutatum, verùm idem, quod ei prius auxilium præbuit capitale. Tum in stuporem versi qui aderant * cuncti mente deuota grates mirabilia facienti Christo Domino reddiderunt.

* *M. S. B.* vniuersi.

Eadem præterea mulier tanto in se viso miraculo, quid de ipso ageret *risili* penitus ignara, tandem inquit: Felicem me * fœminam æstimarem, si id munusculum, quod mihi Virgo reparauit immeritæ, ad indicium audientium omnium eidem conferrem Ecclesiæ. Aderat tunc fortè quidam, vouentis verba audiens coniugatæ, cui merita Virginis, præsentis lumen reparauerant vitæ. Qui ait * Quoniam ego debitum ei in vita mea seruitium reddere debeo; si mihi hoc, quod optasti, imposueris, deportabo. Nam ipsa mihi viam, quam peccata tulerunt, misericordissima contulit, & lumen, quod diu natura negauerat, munifica reparauit. Quod illa audiens, prælibato æris pondere, famulum Virginis onustauit, & ad monimentum fidelium in Ecclesia appendere postulauit. Fecit ille quod poposcit, Luibillæ Abbatissæ detulit, ipsaque desiderium flagitantis fœminæ adimpleuit. Quod illic vsque in hodiernum diem permanet conseruatum.

* *M. S. B.* addit iam

* *C.* habet Quod

CAPVT II.

De cæco illuminato.

QVia igitur supra portitoris prius cœci memoriam egimus, dignum est, vt qualiter gratiam visionis meruerit,

meruerit, enarremus. Dum ergo idem ipse, Ratfridus namque adhuc viuens vocamine nuncupatur, prius cœca caligine premeretur, & geminis orbibus mala albuginaria, quæ vulgo * *perulas* nuncupamus, obnoxia pateretur, nullumque omnimodis intuitus lumen gestaret in capite, quo vel exiguæ lucis igniculum videre potuisset, duas, ad Monasterium veniens, illic hebdomadas percompleuit. Contigit interea, vt quadam die pro se misello Dominum & Virginem precaturus Ecclesiam introisset.

* Germ. vers. perle. Rectè, quia habent speciem albicantis margaritæ.

Cumque Missarum sacrosancta solemnia vsque ad Euangelij Dominici * euphoniam traherentur, præfatus cœcus apposita dextero, quam erexerat, manu oculo, perulam caliginosam, quæ in * eam diuinitùs cecidit, sanctimonialibus, quæ Missæ canore intererant, gaudens ad intuendum deuexit, & in vno oculo visum recepit, ibidemque pro collato munere debitum famulatum impendit.

* M. S. B. eu-foniam

* M. S. B. in ea C. ipsum.

CAPVT III.

De sacculo cum eulogiis.

HÆc & his similia plebs Christo deuota, passimque latum distenta per orbem, dum experiretur in loco Virginis celebri facta miracula, cœpit ad eundem locum conuolare lætissima, ita vt ex tetraformi mundi climate, intercluso nullo penitus die, gregatim coirent fidelium turmæ, grataque ibidem Domino & * matri munera deferentes, accepta quæsita benedictione * redirent in pace. Inter quas quædam extitit muliercula ex pago * Dragevva, quæ populorum illò tendentium se

* M. S. B. addit suæ

* M. S. B. redierunt

* M. S. B. Dambgoue

fideliter miſcens agminibus, tripudianti animo iter aggreſſa eſt commeandi, vt mos eſt Sanctorum præſidia requirentium, in ſinu familiari, prout facultas contulit opum, xenia geſtans, ſcilicet candelas, lanam, linumque & ſi qua ſunt huiuſmodi. Cumque in his * muneribus * Dominum placatura cum plurimis deueniſſet, intrans vicinum & adiacens arciſterio cymiterium, locata prius prouidè munuſcula requiſiuit, & in ſinu theſaurario, flexis ſtrictim foris articulis, vnà cum operimento illud quod repoſuit hilaris apprehendit.

* M.S.R.& C. addit diuis
* M.S.B. addit ad monaſteriū

At verò in baſilicam cum cæteris * intrans, dum ſacculum, in quo benedictiunculas ipſa conſuerat, iterum ſecura requireret, nihil inuenit. Tunc ſtupore attonita vehementi, & anhelos in pectore animos voluens, pallidaque ora mœſtis vultibus præferens, hæſit corde ac ſi mente captiua, quidque ageret, quò tenderet, quò ſe verteret, ignorabat. Opaca denique luminum * tutamina haud ſine nimio pudore demittens, credulum ac ſecreti ſui conſcium ſinum diſpendij cauſa culpabat; ſinus verò quod acceperat fideliter conſeruatum reddidiſſe, delatrice teſte, pandebat.

* M.S.B. ingreſſa
* M.S.B. tutamine

Dein clauum in ſemetipſam refigens, & culpa ſe incuriæ notans, nec ipſi, quæ contrectauerat manui ſaltem credere quibat. Rurſum curioſitas, quæ tunc eiuſdem negotij diſpenſatrix occulta fortè extiterat, ſinuoſa * volamina ſæpius requirebat. Inde, ne corruptæ veſtis improuiſa diſciſſio, damnum, quo gemebunda ſubſtiterat, facere potuiſſet, ſingultuoſis faucibus ruminabat; ad extremum vndique deſtituta, ream & miſeram ſe in imo cordis arcano clamabat. Quid plura? Preces ibidem ingentes ad Dominum fudit; ſicque cum cæteris

* M.S.B. volumina C. velamine

teris

teris repedantibus, & ipsa confusa recessit. Cumque suam, quam reliquerat, mœsta reuiseret domum, Dominæ, cui conditionali iure famulatus semper seruitium exhibebat, eam protinus accersiuit, quidque ad Cœnobium sacræ Virginis, vbi fuerat, viderit, vel audierit, vera comperta ratione edicere postulauit. Cui cum plurima narrando retexeret, in se quoque mirum quod acciderat, postposita omni confusione perstrinxit. Tum Domina sagaci pectore verens, ne sui iuris famula alieni laboris pondere sarcinata, Deum cum Virgine fallere conaretur, obnoxia obiurgantia statim opposuit verba, pro huiusmodi facinoris culpa ipsam eandem confundere nisa. Mira dicturus sum, quoniam ibi mox virtus affuit Christi.

Cum ergo aduersus famulam Domina plurima prosequeretur indignans, illico sacculus, de quo ratio ordinem retexebat, cum eulogiis prioribus ita vt prius fuerat colligatus, atque consutus, in gremio eiusdem Dominæ patulè est inuentus, ac si manu propria collocasset Mirata oppidò, & vltra quàm dici valeat * stupefacta Domina iam dicta cum famula, omnisque domestica adstans familia, nec à loco quidē vbi resederat, audebat resurgere; verùm cum tremore atque pallore nimio Dominum sedulò precabatur. Demum inito cum suis consilio, Archipresbyterum accersiuit, eique inopinatæ atque inauditæ nouis temporibus rei veritatem per ordinem pandit.

* In M.S.B. & C. deest Rupefacta

Auditis his, præterea is, qui aduenerat presbyter, recitata psalmorum melodia, sacculum, qui inuentus fuerat, illico dissuit & oblatiunculas, quæ in eo latebant, Ecclesiis condonauit. Ipsum verò sacculum * Salomoni

* Quis iste Salomon? An

Erckenvvald', ob sapientiã? Nam nullus alioqui Salomon eo tempore inter Episcopos Eystettenses.

Antistiti destinauit, quique eundem ad Virginis Monasterium retransmisit: Vbi ad laudem & nomen viuificæ Trinitatis hactenus conseruatur illæsus, cuius regnum & imperium permanet in sæcula sæculorum.

CAPVT IV.

De * spata perdita.

* Ense seu gladiolo.

DE his duobus, quæ suprà perstrinxi miraculis, me satis mirante: * quidque his aliquid in iam dicto Monasterio simile factum sit, curiosius inquirente, affuit qui desiderij mei sitim fluento * oculatæ veritatis extinxit, & prælibata duo, ne cui viderentur ambigua, tertio roborauit. Fuit, inquit, quædam fœmina nobilis Franca, cui bis binos mater natura contulit natos. Ipsa eosdem * fortunalia iura non deserens in ipsis crepundiis * reptura. Nam floridæ viredinis vitreum decus, quod in ipsis initiis cœpit laxis artubus pullulare, mox ac si ex alto * delapsum, fractis virium spectabilium cruribus, lugubri aggressum est dissolutione languescere: quorum membra tenerrima suis * ipsis visceribus edita genitrix aspiciens mœsta culpabat sua, quæ tam dulcia pignora lactauerant vbera, verbisque tristiferis luctuosa congerens cantica, miserabili voce clamabat: Heu me tantum, quia parituram dolorem sinus matris exposuit. Heu me quia niuei pudoris honestatem thorus nuptialis ademit. Heu me, quia dum dolorem matris parturientis prodiens dempsi, & ipsa mater effecta in memet eundem * parturiendi dolorem retorsi. Melius mihi, fateor, foret, commune multis ac lugubre funus excipere, quàm sobolis delicatæ demissis orbibus mortem aspicere.

* *M.S.B.* Et si quid his *C.* Et si his aliquid

* *M.S.B.* oculatæ *C.* occultatæ

* *C.* fortunali iure

* *M.S.B.* & *C.* receptura.

* *M.S.B.* delapsu

* *C.* ipsius

* *M.S.B.* pariendi

Hæc

Hæc & huiusmodi, vt moris amarè plangentium est fœminarum, verba congeminans, vt vidit iam vnius filij irreuocabilem horam oris portas attentius penetrare, quasi vno amisso aliis potitura, cœpit sollicitè necis parare obsequia. Quod dum fieret, paruulus vltimum clausit diem. Eo igitur mortis debitum capiente, eadem quæ in fratre vsque ad metam prius grassauerat * pestis, ferali ignita furore * transit ad vitalia fratris. Quem quoque dum more simili perculit, sine dilatione extinxit. Inde nec sic belua insaniens satiata, tertium etiam terebrauit, & flatus exigui spiramina dempsit. Pro dolor; Tum mater toruis luminibus semetipsam aspiciens, & eandem, quæ chara pignora tulerat, mortem sibi sæpius imprecans, tandem nutabunda fœminei corporis spe oculos nitebatur reflectere ad quartum.

* M. S. B. hostis
* M. S. B. & C. transiit

Dum ergo fluctiuaga id volueret mente, affuit qui famam miraculorum ei sacræ matris nostræ Walpurgis competenti panderet ratione. Quam dum intenta aure excepit, quasi ex intimo sopore euigilans, votum Domino & Virgini * sedulo vouit; vt si puer mereretur digna exsistere sanitate, eundem secum ad eius basilicam deportaret delato cum munere. Miserator igitur & misericors Christus lacrimosorum singultuum suæ volens misereri ancillæ, & finem inferre mœstitiæ, pepercit, quem plasmauerat, puero, & * doloris angustias tulit infirmo. Cumque genitrix valere * vidisset infantem, oppandens ad superos manus, eum, qui sanat & percutit in excelsis Dominum benedixit.

* M. S. B. sedula
* M. S. B. dolores tulit.
* M. S. B. creuisset

Interea votum, quod prius ardenti desiderio vouerat, sollicita acceleratione perficere festinabat, paratisque omnibus, quæ prolixi spatium poscebat itineris, op-

tati nisa est aggredi tramitem callis. Igitur dum dispositis cunctis, iumenta iam onerata præmitteret, ipsa cum puero vehicula ascensura sonipedalia, sola ad requirendum superfuit pueri spata. Cumque omni penitus domo euersa, nil omnimodis inuenisset, discinctum secum puerulum tulit, ac Domino commeante viam carpere cœpit. At vbi se à referentibus Monasterio comperit propinquare, gaudens quia fines optatos meruisset attingere, ab equo, quo illò vsque delata exstiterat, celeri cum auiditate* desiliens, pedestri deuotissima calle oratorium Virginis conabatur attingere. Tum tanta flaminum imbriumque immoderata extitit magnitudo, vt vix quis vehiculariis perfruens adiumentis, vsquam peruehi potuisset. Porro suis impellentibus, consultius fore determinans, vt equitans quæsitura Virginis suffragia Monasterium adiret ouanter: Vbi equum scandere nisa est, sambucæ familiaris pressura puluinar, quæsitus iamdudum diligenter, & non inuentus, diuinitus affuit mucro, & iacens patulæ in sambucæ sedili, mirantibus qui aderant vniuersis, ipsum & non alium se præbuit ad videndum. Hoc dum ardenti cerneret pectore mater, quanta potuit celeritate Monasterium adiit, valuas basilicæ referta gemino tripudio rei expertæ intrauit, seque cum superstite atque hærede puero totam Domino & Virgini consignauit, mira, quæ & domi & in itinere directo contigerant, patulis & veracissimis labiis perorauit: & ad indicium omnium ensiculum tradidit, seruarique in sæculum in eadem Ecclesia humiliter postulauit: sicque benedictione potita, ad propria lætissima remeauit.

* M.S.Z. exiliens.

Si quis

Si quis igitur huic verissimæ rationi contraire * voluerit, ad idem monasterium viam tendat, spatam eandem muro dependentem aspiciat, & dum eam stolidus * cernerit, Christum per sanctos suos hæc & similia & horum maiora valere facere non diffidat.

*M. S. B. conatur. C. conatus fuerit

* M. S. B. & C. cerneerit.

CAPVT V.

De caduco.

EXstitit quoque miserabili quidam morbo caducus, & ita membris labescentibus fractus, vt aliter ad iam dictum oratorium nequaquam peruehi potuisset, nisi mansuetissimo impositus equo, * strictum in eodem vehiculo * vinceretur. Is dum auxilium cœlestis beneficij languenti corpore requireret, in eodem loco ante sanctum Pascha hebdomada septima veniens, aliquantum temporis à suis gratia recuperandæ sanitatis dimissus, ibidem est demoratus. Quadam ergo die Ecclesiam intrans, dum eadem, quæ sæpius ruminabat, pernecessaria verba * replicaret, scilicet: Domina omnium te in fide quærentium benignissima, mater miseratrix, adesto misero membris omnibus labenti & destituto, & nunc iam succurre peccatis obnoxio, opem fer munifica reo, & sanitatem indigno solito præbe suffragio.

* M. S. B. & C. strictim

* C. vinciretur

* M. S. B. Quodam

* M. S. B. & G. addunt singultuosis vocibus

Luibilla Christi & Walpurgis ancilla deuota, misericordiæ viscere tacta, * staupulum, qui ob signum recuperandæ salutis pendebat, iussit deorsum vno pede demitti, vt citius ad eum, qui in hoc fatigatus labore exstiterat, exsilire potuisset. Cumque id celerrimè fieret, ac si ita dici queat, suam staupulus haud valens ferre iniuriam; immò Virgini ad cuius pendebat signorum

* Germ. vert. den Zeichenrick oder die Stangē/darā die Zeichen hiengen der erworbnen Gesundheiten. Tholus.

signorum memoriam, displicante se in quo pendebat, funiculo, iterum se dimisit inferius. Inde nullo penitus contingente, dum sese sponte retorquens funiculus, aspicientibus penè qui aderant vniuersis, ad priorem, vbi antequam dimitteretur ab homine exstitit, rediit statum. Tum diuinitùs fateor tactus ægrotus, qui prius casso ad excutiendum cum labore sudauerat, protinus exsiliuit, staupulum fortiter excussit, & manente eo illæso plenissimam sanitatem recepit.

CAPVT VI.

De peregrino occiso.

*M.S.B. & C. addunt iugiter

MIrabilis Deus * in suis, quos membra atque amicos appellare dignatus est, sanctis, incunctanter mirabilia faciens, terrificum nobis, in quos fines sæculorum deuenerunt, nuper est ostentare dignatus prodigium, à sæculis, vt reor, inauditum. Plurimis namque à quatuor mundi partibus, Virginis, super qua instans oratio texitur, sacrarium adeuntibus, venit etiam peregrinus quidam agminibus se interserens populorum, atq; basilicam veniam precaturus intrauit. Vbi dum intimis visceribus pro piaculis suis Domino supplicasset, matremfamilias * Luibillam cum aliis inibi seruientibus famulabus, grauido quasi parturiente pectore, accersiuit, quis esset, & vnde venisset, aut quam ob causam tanti spatij calle transposito, incognita rura quæsisset, euidenti innotuit ratione.

*M.S.B. Luibilam

Gratias, inquit, * potentissimo Regi Regum, qui in me misericordiam suam ostendit, vindicta debita præeunte, vobis coram * positis refero. Dominæ quoq; meæ

*M.S.B. omnipotentissimo.
*M.S.B. & C. positus

meæ Walpurgæ, ante cujus ſacrum altare conſiſto, grates ex corde rependo; quia mundi inſtantis haud modica tellure luſtrata, deſiderij ſalutaris compos effectus, huius ſancti atrium arciſterij merui contemplari, quo & de innumeris, quæ commiſi, reatibus auxilio Virginis merear liberari, & mirum, quod in me virtus peregit Altiſſimi, à me ipſo, priuſquam ab alio, poſſit audiri. Dignum eſt enim, vt ad aures perueniat audientium, quod ſimplex Trinitas per merita paſſim ſuorum operatur Sanctorum. Et * ne me aliquis oculos ſupernæ maieſtatis fallere cupientem, verba falſiloqua concinnare contendat, teſtor Deum, in cuius conſpectu ante ſacrum altare conſiſto, atque per eius nomen terribile iuro, Virginem quoque, cujus in loco hoc ſuffragia requiſiui, cum omnibus ſanctis teſtem adhibeo, me non quicquam veriſimile, aut falſa prodere ratione, verum vt contigit, liquidiſſimo narrare ſermone.

* M.S.B. Et vt ne aliquis.

Anno igitur præterito, quo famis accerrimæ tabes inedia ſqualentes multos tam in Vrbibus, quàm in vicis protraxit ad necem, contigit, vt duo præfatæ cladis anguſtias de loco ad locum peregrini quotidie fugitantes, dum quadam die viam famelici carperent, quò ſe verterent conquirentes, tertius quoque ignoto in ceſpite eorum ſe * iugaret itineri. Cumq; vt moris eſt gradientium, inter ſe plurima fabularentur, egentes, inter cætera, quæ verbis obiecta ſunt verba, duo tertium percontati ſunt commeantem, quò itineris ſui calle directo tendere concitus voluiſſet. Qui ait. Euolutis iam olim diebus non modicis, quo famam glorioſæ in orbe referentibus plurimis audiui Walpurgis: nunc ſupereſt, vt in * ipſo, quo cernitis, tramite, ipſa eadem adminiculo præuia, lo-

* C. iungeret

* C. in quo

cum suæ adire debeam mansionis. Tum illi. Si inquiunt, comes, vt asseris, illò gressus felicis itineris eundi direxisti, habeto nos eiusdem socios callis, & nostris fruere fraterna fabulatione colloquiis; vt simul viarum multarum discrimina transeuntes mutuis fulciamur auxiliis, terroribus postpositis vniuersis. Nam & nos ad eundem locum pergere disponentes, victus pretiosi longè latèque quærimus adiumentum, & nunc adhuc ieiuno stomacho gradientes, vix gressus figimus titubantes.

Quibus conuiator pacificus ait: Eia fratres, prolixi iam itineris angustias deponentes, & quoniam tempus est, apta peregrinis sedilia requirentes, frangamus ientacula residentes. Cumque se faterentur, nil communis habere pensi edulij, ait. * Iam nunc inuenti comites mébra ruri sternite lassa, & meis de cellariis congesta sumpturi cibaria, quieti donate corpuscula.* Tum auida guttura panem cum * sanguine ministrantis, ac si iam glutientium egenorum exposita auidè sumpsere conuiuia, vt pastoris citius sui neci traderent membra. Sumpto igitur oportuni temporis cibo, ait is, cuius iam latens funus intrauerat ianuas, ad suos dulcissimos conuiuas. Modicum resumptis* visceribus, collegæ fidelem vobis audite collegam, ac parumper quiete salubri composita, dulcem somnum luminibus indulgete; & pressis sopore duobus, tertius vigiliam tutam præstet ambobus, vt sic corporis coagula gemina recreatione resumpta, viam quam cœpit tendat inuicta.

* *C.* Iam & nunc inuenti comitis
* Huc vsq; Canisiana editio. Reliqua desunt.
* Fortè leg. sagimine.
* *M.S.B.* viribus,

Hæc dum ad socios * iam toto corpore penè mortuus perorasset, se mox in terram proiecit, præuia capitis lumina clausit, ac soporem vltimum degustauit. Nam protinus pestiferi contra innocentem crudeliter consurgen-

* *M.S.B.* addit. verba

ſurgentes, mortis ei compendium tradiderunt. Cumq; tanto miſeri ſcelere perpetrato, quid de extincti cadauere agerent, penitus ignorarent, tandem vnus eorum exanimi ſarcina oneratus, haudque leui pondere * ſarcinatus, cœpit abdita quæque rimari ac deuia: abrupta quoque & concaua, vt tantum facinus, quod mater terra ſilere nequibat, depoſito in remotioribus onere, tegere potuiſſet. Tandem miſer ac furenti omni belua deterior, inuento, pro quo æſtuabat locello, dum tenſos, quos prius ſtrinxerat artus, deponere conaretur, hæſit, mox diuina operante virtute, viuenti corpori corpus exanime, & rubea baiuli colla pallidos arctius excepêre lacertos: Sicque infelix ipſum, quod * nullum exigente geſtauerat prius, pretioſum ac ſi aliquid ferens, de loco ad locum vectitabat inuitus.

* M.S.B. peronuſtus

* M.S.B. nullo

Ergo dum nullo pacto tam grauis & inaudita ſarcina à quoquam potuiſſet euelli, quadam die ipſi, qui hoc, quod ſcribimus, poſtea retulit, monſtruoſo cum pondere obuiauit: Quem cum horribilem toto corpore mortuum geſtare * vidiſſet, vltra quam dici valeat & ipſe horrore præuentus eſt. Reſumpto tamen vitali * poſt modicum flatu, ad ſemetipſum rediit, baiulum, qui ei dudum cognitus ac familiaris exſtiterat, recognouit, quidque ei calamitatis, quia corpus ferret exanime, contigerit, ſolicitus requiſiuit. At ille omni cunctatione * ſubmota, voce ſimiliter familiari & credula, rei metuendæ veritatem expoſuit, & vt ſui miſereretur, euulſa, quam ferebat, mole grauiſſima poſtulauit. Rem vt reor, fateor inauditam. Audiens denique ſtultus verba ſedulò flagitantis, viſum eſt ei, quod reum aſtantem facili valeret abſoluere ratione: Arripiensque ſuum, quem ſecum

* M. S. creuiſſet

* M. S. poſt modum

* M. S. ſummota

culerat, gladium, hærentis brachia mortui à collo * secare voluit vecticantis. Verùm dum manus temeraria hærentis brachia peregrini contigit, hæsit & ipse eodem, quem rapuerat, vt ita dicam, gladio teste: sicque tria corpora quasi forti bitumine conglutinata, miserè hærebant mutuò coniugata.

* M.S.B. secari

Affuit præterea miseratio Trinitatis, cæcumque cor incauti tetigit secatoris, quo ad statū * rediens mentis, suam adipisci misericordiam mereretur per suffragia Virginis. Nam mox vt ad se reuersus, stoliditatem suam recognouit, * clamare cœpit: Recognosco in me misero plurima regnare delicta: Reminiscor priorum, quæ à primæua origine, contraxi, facinorum: animaduerto, quia priora quæ operabar, nunc in me venêre peccata, dum mysterium à sæculis inexpertum procaci ausus * eram contingere manu. Verùm si me reum ac miserum corde contrito superna respexerit pietas, & beatæ Walpurgis absoluerit sanctitas, quamdiu * corpore orbis calcauero rura, nunquam me * profiteor eidem Virgini contrarium fore facturum, in quantum labilis conditio carnis votiuæ præualet seruare sacrarium sponsionis. Hæc dicens, oculosque ad superos cum ingenti gemitu leuans, statim viridis squalentem deseruit caro, & discissus à corpore tabescenti stetit ouanter in gradu suo. Videns igitur in se cœlestis miserationis donum, euidenter esse peractum, grates quas potuit, suo Saluatori rependit, simulque cum terribili onere cõmite ponderato, vndosum * Reni pelagus * petiit. Vbi dum aliquantulum consisterent viatores, prælibatus * mortui cadaueris baiulus, pudore simul cum sarcina pressus, malens necis subiacere periculo, quàm vitæ exosæ vltra gestare dedecus inauditum.

* M.S. rediit
* M.S. addit: ore patulo.
* M.S.B. extiti tangere
* M.S.B. addit in isto corpore in quo hic hæreo.
* M.S.B. fateor.
* M.S.B. Hreni
* M.S.B. adiit
* M.S.B. peregrini viscerum

auditum, cassum iter arripuit, rugosum aluei pelagus introiuit, vt extincto iamdudum profundam traderet sepulturam, simulque in vno eodemque laticis gurgite, lacrimabilem sibi adimens vitam, & ipse eandem vastis sortiretur in vndis. At vbi fluctiuagi marmoris fluxus nefandum * adlambuit homicidam, protinus haud suam existere prædam sciens, ac si stercus euomuit, & ad littus vsque reuexit.

* M.S.B. ablambuit

Stupefactus qui aderat conuiator, suaque de salute tripudians, ac de alterius calamitate altius ingemiscens, tandem miserum misero cum pondere derelinquens, Monasterium Virginis impiger petiit, rem quæ acciderat ore veridico recitauit, & ne falsum aut excogitatum cuiquam videretur, ante altare sacrum eiusdem Virginis fidissimus stetit, per nomen *Excelsi*, omniumque Sanctorum, necnon & per ipsam, cui astabat, Virginem intrepidus iurauit, vt id quod euidenti protulit ratione, vero confirmaret sermone.

Fertur idem miser, sed non miserabilis, Virginis præsidia sæpius quærere voluisse, vt veniam consequi mereretur. Verùm nunquam ad eandem cellam peruenire potuisse, vt cunctis liquidò clareat, quantum in se iram Domini prouocasset, quem nec saltem fines Monasterij beatæ Virginis excipere dignarentur. Hunc multi cum iam dicta ponderis mole hactenus in vita florentes sæpius non sine gemitu contemplati, plurimis retulerunt. Vnde constat, verum esse, non falsum, quod plurimorum pandit relatio populorum. Mihi autem nullus imputet exaranti, crimenque velit impingere falsiloquij, quoniam nec ego excogitare præsumpsi, nec

anilia elatus verba compinxi; verùm ita, vt supra taxaui, fidelibus mihi referentibus, * cedula annotare curaui.

* M.S.B. scedula.

CAPVT VII.

De puella cæca.

VIr quidam de pago Neccharienſi, qui lingua * Diutiſſa * Necchargovve ab incolis nuncupatur, auditis multis ac crebris, quæ quotidie in oratorio Virginis * fiebant, virtutibus, venit & ipſe ad medicam, * puellam ſecum perferens cœcam, quatinus Deo miſerante, & ipſa meritis ſuffragante, videntem reportaret ad patriam. Huius ſanè lumina tenebroſa ita caro contexerat tumida, vt vix ſtatum eorundem quis cernere potuiſſet. Tantum deformis & turgida, ſalutis viam quærebat ignara. Cumq́ue auxilium à Domino in conſiſtorio baſilicæ tam is, qui detulerat, quàm eadem, quæ orba delata extiterat, * poblice flexi popoſciſſent, ſubito pateſcentibus genicularijs thecis viſus rediit ad pupillas, eaſdem prolixo iam tempore viduatas. Agentes igitur Saluatori atque interuentrici debitas tanto pro munere, grates, patriam reuisêre gaudentes.

* Theotiſca
* pag' Sueuiæ.
* M.S.B. operantur
* M.S.B. puellulam.
* M.S.B. poplite flexo.

CAPVT VIII.

De cæconato.

PAuper quidam famoſi Comitis Adalberti, nomine Frideradus, quem oculis corporalibus videntem aſpexi, & de menſula paupertatis meæ panis portionem porrexi, ab ipſo primordio, quo eum genitrix ſinu expoſuit genitali, cœcitatis obſcuratus eſt fœditate. Qui cum iam in maturâ ætate, tetrâ caligine preſſus, priores tene-

bras

bras ferret ad senium, propriâ ducatum ei præbente sorore, limina Walpurgis adiit benedictæ. Quo dum fatigatus iam itinere peruenisset, petiit vt ante altare Virginis duceretur, quatenus oportuna, quæ secum * intulerat, munuscula super illud imponens, veniam de peccatis consequi mereretur. Deductus ergo ad aram, vbi * mausoleum Virginis propiauit, lascescentibus omnibus continuò membris, rogauit vt potuit, se ocius ab * altari reduci, aptumque sibi sedile requiri. Quod dum protinus fieret, paululum tremebundo corpore requieuit. * Tum subitò dilapsus in terram, cœpit pallida membra * saxosâ volutare tellure, & quasi vltimum clausurus diem, sese creberrimè in pauimento reflectere. Deinde cum potius ab astantibus de funere eius tractaretur, quã de luminis, quam quæsierat, dignitate, nil vnquam videntes ocelli, sanguinis madefacti cruore, guttatim in terram stillare cœpere, ac pauimentum vberrimè cruentare. Cumque eadem, quæ tunc in erat, hora transisset, diu negatum meruit visum, & tam ipse, quàm omnes qui aderant, * gratias retulerunt.

* M.S.B. tulerat

* M.S.B. mausoleo

* M. S. B. altare

* M.S. B. cum

* M.S.B. saxoso

* M.S.B. addit Altissimo.

CAPVT IX.

Item, de Cæco.

ADiit denique cellam opinatissimam salubris Christi Virginis similiter puer quidam, de vico haud longè * posito, * Heimenesfurt, nuncupamine Huno, ab exsistendi exordio noctis secum semper caliginem gestans, & cœcitatis horrore fatiscens. Qui adhuc in tenera ætate cor indocile possidens, & immaturis visceribus sensus vigore torpescens, prout sciuit & potuit, preces ibi ad Dominum

* M.S. Heimunesfurt

* Pagus hodie Hamnetscampfurt.

* M. S. seposito

Dominum fudit. Misertus ergo misericors & miserator Dominus miseriæ * lucis priuatæ, inuisam & insuetam iubaris præstare dignatus est dignitatem, vnoque oculo manente, vt prius fuerat, genitricis à partu fuscato, * desiderati in altero potitus est luminis claritate. De quo si curiosus Lector, vel auditor inquirat, cur is, qui in vno corporis orbe, noctis voluit * discernere fœditatem; in alio originariam passus sit remanere caliginem, perpendat occulta Deum rimari secreta, suaque fore inexquisita iudicia.

* M. S. B. luce priuati

* M. S. desiderata.

* M. S. B. discutere.

CAPVT X.

De muliere cæca.

IPsa * eademque die, qua præfatus puerulus Altissimi in se meruit gratiam, vt prædictum est, copiosam, muliercula aduenit ignota, pupillis geminis cæca: Verum, vt reor, copiosâ fide referta, dum ex corde profundos * gemitos traxit, totamque se Omnipotenti & Virgini contulit, * lumen diu ademptum recepit, & ipsi, qui lumen rectis corde munificus tribuit, indicibiles gratias egit, ac expleta cum laudibus oratione cordiflua, hilaris atque sanissima ad propria peruolauit.

* M. S. B. eadē

* M. S. B. gemitus

* Aliqua desūt in M. S. B.

CAPVT XI.

De equis perditis.

VVlgata igitur opinione celeberrimæ Virginis, & penè per orbem vniuersum longè lateque diffusa, * Reginensis quoque vrbs quondam regalis & inclita, suos ad idem monasterium * transmisit ciues, pro modulo affectus prius deliberati & consciæ facultatis, placituros Altissimo

* Ratisbona, Ciuitas Imperialis ad Danubiū, auitæ pietatis parū ęmula, quia Lutherana

* M. S. B. transuexit

tiſſimo eulogias deferentes. Qui voto potiti optabili, cum magno baſilicam intrauère tripudio. Vbi dum apertis ſcriniis cordis & corporis quædam altario illis & introeuntibus cunctis expoſito, quædam etiam xenia abara liquidiſſimi pectoris mitterent polo, experta luminibus auribusque, pro qua venerant, ratione, acceptaque, quam quæſierant, benedictione, quia eis tardior hora * incubuit, in vicino Monaſterii caſtra metati ſunt, die altero ad propria reuerſuri. * M. S. B. incubuerat

Verùm * opacæ noctis ſilentio veniente, ſomnoque ianuas luminum iamiamq; quieſcentium clementius adeunte, fures qui à furno, id eſt, nigro, traxere etymologiam priſcam, cuiuſdam Alamanni, * vocamine Ratharii, cernentes fatigata * Regninenſium membra ſopore nimio prægrauata, nulloque vigilante cuſtode, per * diſtenti latitudinem campi iumenta fore diſperſa, duo, quorum cæca obſcurior nocte cupido cor iam tetrum intrauerat poſſidendum, vnus clanculè apprehenſo capiſtro, alter arrepto * renum cingulo, caſſam duorum equorum diripuere capturam. * Rapta igitur idem inefficaci latrunculi præda, * aſcenſiſque, quæ ceperant procaci temeritate, iumentis, iter ad patriam remeandi arripuere gaudentes. * M. S. B. opaco * M. S. B. vocabulo * M. S. Regineſium, id eſt, * Ratisbonenſium. * M. S. B. diſtenſi * M. S. B. renium * M. S. B. Rapto * M. S. aſcenſaq; iumenta

Sed is qui ſe in ſanctis ſuis glorioſum atque mirabilem cunctis oſtendit, gaudium præſumptionariæ auiditatis in ruborem mœroremque conuertit, vt * mundialis controuerſia ſtoliditatis palam agnoſceret, quid Chriſti in cœlis & in terris omnipotentia * valeret. Nam rapaces alieno portati vehiculo, equitandi peritiam vanis exercuere vigiliis, craſſiſque in tenebris, circa Monaſterium Deo amabile, omni niſu atque conamine, * M. S. B. mundalis controuerſio * M. S. B. quiret

rura paterna calcare proculdubio æstimantes, dum domos proprias læta altrinsecus fabulatione adire quasi agiles voluissent, facta rosea matutinalis temporis luce, in proximo culturali sacræ Virginis à semetipsis inuenti sunt aruo. Quis autem eos terror inuaderet, quæque verecũdia totos per omnia possideret, difficile est mente tractare, verbis exprimere, ac pagina festinanti ad alia, annotare. Tandem cupidi quoquo facto ad se reuersi, miraculum per sanctæ intercessionem Virginis * agnouere patratum, & rubore, tremoreque ineffabiliter castigati, qui prius alienis conati sunt furtiuisque frui vehiculis, ad propria repedarunt gressibus propriis, relictis, in quibus antea gauisi fuerant, equis. Quo Dominicæ ostentationis signo omnes, qui viderunt, vel audierunt, mirati sunt: sed amplius hi, qui iussu diuino iumenta perdita recipere meruerunt. Agentes sanè vnicæ Trinitati gratissimas laudes, * Ratisponenses hi qui venerant Ciues, tam pro acquisitâ, quam quæsierant Ecclesiæ benedictione, quàm pro signi admirabilis munere, redierunt ad propria, narrantes fideliter de his omnibus, quæ gesta erant in viâ.

* M. S. B. agnouerunt cito

* M. S. B. Radesbonenses qui

CAPVT XII.

De claudo.

Natura conditionis humanæ à * primæua origine laboribus innumeris, mortique subacta, à labore initium cœpit, & in ipso terminum ponit. Vnde quidam in ortu prodeunt cæci; quidam miserabili partu, membris omnibus oriuntur curui atque contracti: Alii vtrisque gressibus claudi; Alii in vno grassante atroci debilitate infir-

* M. S. B. prima

infirmi; plures paraltyici; multi aliis atque aliis incommoditatibus pressi, *indictam ab initio hactenus editi laboriosam atque mortalem retinent notam. * M. S. B. inditam

Sed Redemptor humani generis, qui suscitauit & suscitat mortuos, qui illuminat cæcos, qui erigit * elisos, & soluit compeditos, qui impotentes, si quos dignatur, facit esse firmissimos, ipse suos inter incredulos glorificare & extollere quotidie dignatur electos; vt licet cum ipso regnent in cœlis, tamen ipso agente, mira operentur in terris, fideque carentes visis his signis, atque miraculis incognitis, discant, qualiter ad Dominicam credulitatem peruenire debeant; necnon ex infirmantium restituta valetudine corporea, ipsi quoque mente & animo conualescant. Horum grex copiosus ad cellam matris Walpurgis quotidie confluit, & operari quid possit per sanctos suos Christi virtus, agnoscit, dum imbecillis & debilis qui venit, resumpto vigore virium redit. Iunctus exstitit parium agmini quidam Brisegevvensis puer, non pedum adminiculo gradiens, verùm manibus & natibus repens; ipsamque, quam innumeri antea * desideratam requisiuit salutem. Qui dum * nonas Maij, vt hæ; quæ ibi deseruiunt sanctimoniales, fida ratione testantur, in recuperatricem multiformium sanitatum Ecclesiam introisset, hi qui prius lamentabili coagulâ natibus vniti fuerant, * celeri scissione distincti ad calcandum communis ruris optabilem cespitem inuenti sunt habiles. * M. S. B. elisos * f desiderabat, * M. S. B. nomen * M. S. B. addit calces

Explicit liber primus.

De Miraculis S. VValpurgis,

LIBER TERTIVS.

Incipit prologus libri tertii.

VOLVENTE *temporum instantium adhuc lacrimabili serie, variantur etiam pariter mentium humanarum multimoda qualitates. Quo constat, non semper hominem agere * valere, quod ei adiacet velle: verùm cùm labitur exterior mundus, inclinatur & interior animus variis ictibus terebratus, vt ab affectu concepto iam prius frequentius concidat, in quo * dudum fixo gradu stabat. Sicq; fit, vt corpus dum quod non appetit percipit, obtineat detrimentum; & animi affectus * promptus habeat præmium.*

* M. S. velle

* M. S. B. dum

* M. S. B. propter

***Exigente namque tuæ, Pontifex venerande, Dominationis imperio, pro tenuissimi capacitate ingenii duos iam pridem miraculorum semper mente & ore retinenda matris VValpurgis libellos succincto populariæ orationis** per-*

*perstrinxi commento: Verùm multipertitis anfractuum secularium occupationibus pressus, penè duorum decursis hebdomadibus circumrotantium temporum, ad initium tertii peruenire *nec quiui, nec merui. Nunc autem quia meta secundi iamiam initium postulat tertii, ipsum vtinam habere merear ducem, cordisq́ exigui benignißimum directorem, qui sua sapientia os aperuit muti, & linguas infantium facit esse disertas.* * M. S. R. nequiui

Index capitum libri tertii.

CAPVT PRIMVM.

De eo vbi mulier cæca illuminata eſt.

MEmorandæ Dominicæ Incarnationis Anno * nongenteſimo quinto decimo, quædam è familia beatorum martyrũ * Gordiani & Epimachi, Campidunenſis ſcilicet Monaſterii puella, à natiuitate cæca, nomine * Guntrada, dum gratiam in loco celebri Domini audiret famoſam, cœpit etiam & ipſa totis anhelare præcordiis, vt ad ſacrum venire mereretur beatiſſimæ Virginis. Cuius dum membra ſoporem feliciſſimæ quietis modicum degustaſſent, affuit in ipſo dormitionis articulo, qui eam ita compellans, ait: Cur miſera geminis orbata luminibus, furuis ita ſopita quieſcis in tenebris, & non magis blandè lucubrationis domeſtica, de ſalute tecum ruminando conquiris perneceſſariæ ſoſpitatis? Nam licet te conſuetò matutinalis atque diurna lux gratanter * excipiat, cæcam tamen hauritâ tenebris, orbam remittit ad tenebras. Verùm ſi tetrum à te repellere niteris chaos, & diſtenſas cœli cupis cernere nubes, necnon & virentes contemplari tellures, importuni ſoporis ſegnitiem mitte, ſolitæ quietis caſſam ignauiam reprime, & ad Monaſterium * Monheim, ducatu concito perge; Et cum felici illuc greſſu * perueneris, prius actas, & nitidè coctas atque in * buxula obſtruſas altario * *oblatas* impone, ſicque totam te rerum * Opifici & Virgini * contrade. Cum autem eaſdem aræ locaueris oblatiunculas, * binæ è vicino venientes gallinæ ipſas voraci comedent dente, taliqúe edulio paſtæ, altaris excubiis deſudabunt.

His

* M. S. B. Memorando
* M. S. B. DCCC XC V
* M. S. Cordiani
* M. S. Gundrada
* M. S. accipiat
* M. S. B. Mouuanheim
* M. S. B. ſuperueneris
* pyxidicula
* M. S. artifici
* oblationes
* M. S. trade
* M. S. addit diuas

His ita dictis, verbisque cum salutifera visione subductis, residuũ quod supererat noctis, puellula lætabũda peregit. Noctis verò horrore finito, cùm iam vasti æquoris Oceani lymphæ, lautas Titanis aruis remitterent comas, à lecto, in quo membra sopori * tradiderat, hilari mente prosiliens, sumptus itineris acquisiuit comitem, ac præuiam puellam assumpsit, & callis ignara felicis iter arripuit: Sicque per deuia transiens * rura, * in Monasterio, quod nutabunda quærebat, meruit propinquare.

* M. S. B. dederat

* M. S. B. arua

* M. S. B. non habet *in*

Sed priusquam illius terminos adiisset, reminiscens suæ saluberrimæ visionis cœlitus nunciatæ, * oblatas decenter * coxit, * in buxa reposuit, viamque carpere cœpit. Vbi verò ventum est ad diu optatum basilicæ aditum, die celeberrima Palmarum ad vesperam finiente, cum intimo cordis gemitu oratorium introiuit, seseque in terram prosternens, atque à tetris luminum cauernis salsa lacrimarum flumina fundens, vt iussio visionis attentius * imperarat, ex asse vni se Domino, & salutiferæ Virgini commendauit. Cumque diu longa pertraheret in oratione suspiria, tandem à pauimento, in quo iacuerat, humilis exsurrexit, ad aram accessit, oblatas, quas detulerat tremulis digitulis superingessit, & haud longè modicum ab eadem se pausatura semouit. * Tum ecce duæ, quas creuerat in visione, gallinæ, id est, ex sanctimonialibus geminæ, stantes iuxta altare, impositas abstulère oblatas, * rem pro qua cæca venerat, sollicitè requirentes. Quibus ipsa eiusdem rationis ordinem * retexuit, & ad calcem vsque perduxit.

* Inueniãtur etiã in antiquis monumentis: Oblatæ.

* M. S. excoxit

* M. S. in buxula

* M. S. imperauit

* M. S. cum

* M. S. require

* M. S. B. texuit

Finito * elogio linguæ, affuit solamen statim ex Virgine. Nam omnipotens de cœlo, semper prospi-

* eloquio

cien

ciens super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens DEVM, statim super credulam de cœlo * respexit, & vacuatis luce luminibus solis radios ministrauit. Expauescens ergo de lumine, quia cernebat quod non viderat ante, illuminatori suo Christo, & interuentrici Virgini, cum cæteris astantibus gratias egit, & sana discessit.

* M. S. B. prospexit

CAPVT II.

De pane mulieris à sinu perdito, & postea inuento.

QVædam prægnans mulier, fœmineæ mollitiæ perculsa formidine, appropinquante parturiendi luctuoso dolore, votum vouit ex corde, vt si inter exitiales angustias, mortem quam timebat, euaderet, membraq; tenerrima carissimi editi secura exponeret, cum * sugente eodem ab vberibus nato, oratorium sacræ Virginis lætissima peteret, & ex quantitatula propria coram * altari eundem infantulum librare debuisset. Nato denique prosperè vt optauerat, infante, venit, vt * veraciter asseritur, duobus onerata de panibus, & vase * ceruisia referto. Cumque votiua simul cum infantulo equilibræ imponerent munera, librato cum vno ex panibus eisdem, & * ceruisia puerulo, panis alter, qui excessit in pondere, ablatus est, & in sinu camerario deuectricis statim repositus. Quod * vtrumq; fecerit auaritiæ stimulo tacta, an stoliditate sæcularis ignauiæ pressa, diuino seruetur examini, cui in latebris nil opertum, nil inuenitur occultum. Prudens tamen lector auaritiæ imputat; quod & signum sequens patenter insinuat.

* M. S. B. fugiente

* M. S. B. coram altare

* in M. S. B. dicit; veraciter

* M. S. B. ceruisa

* M. S. B. ceruisa

* M. S. B. verum

Com-

Completo * namque pueri iam dicto libramine, volentes iam egredi completâ oratione, panis in sinu ab ipsâ, quæ cum ibi locauerat, quæsitus, & non inuentus est. Attonita mulier stipe exonerata carissimâ, circumspexit, & sicubi torta ceciderit, curiosius requisiuit. Sed fallentibus eam oculis, fallente etiam credulo sinu, dum à Basilica vacua egredi niteretur, sanctificatione, vt reor, aquæ benedictæ, quæ in petra, iuxta valuas oratorii, ad partem aquilonarem assiduè funditur, ne intrantibus aliquando deesse * videatur, se conspergere cupiens, damnum sublatæ annonæ in eadem petra * positum inuenit, agnouit, erubuit, ibique ad indicium venientium dereliquit, & ad locum vnde venerat, remeauit. Si quis ergo titubat, illò si vult pergat, & de muro hactenus eundem panem pendentem aspiciat.

* M. S. B. autem

* M. S. B. videbatur

* M. S. B. iacentem

CAPVT III.

De puluillo in via perdito.

PLurimis Alamanniæ regionis assiduè Virginis suffragia deuota mente requirere festinantibus, quia finibus eorum adiacens est Monasterium, venit cum cæteris commeãtibus ab eisdem partibus, etiam mulier quædam ex pago Blisgovve, nomine Rumhilda, pro peccatis admissis veniæ indulgentiam quæsitura. Vbi dum completa competenti oratione, impositoque altaribus, quod detulerat, munere, atque percepta solemni benedictione, in via iam posita, facta hora quietis nocturnæ, puluillus, qui cum lecti apparatu in itinere fuerat deportatus, capiti supponendus iacentis, quæsitus inter sarcinas diu est, & non inuentus.

credentis populi quotidie confluit multitudo; & * vbi plura ac desideranda cernuntur miracula; istud etiam inter cætera nihilominus panderetur. De quibus, si aliquis dubitat, si vult, eat, contrectet, & videat, & dum aspexerit, credat.

* M. S. quo

CAPVT V.

De vase inuento.

PAri etiam modo, dum * Gisila matrona pernobilis*, vxor Burchardi, * Walachonis Comitis filii, q̃ antea matrimonio iuncta, fuerat Comitis Megingaudi; orationis causa, vt solita est, cellam Virginis adiisset; inprimis pro se suisque omnibus Domino supplicauit: dein erigens se, & signo Dominico muniens, eas quas secum * detulit, obtulit eulogias. Vbi ventum est ad pauperum Christi eleemosinam partiendam, datis cibi stipendiis congruentis, dum etiam pocula sedula ministraret, vas quod * *hannipa* nominatur, quo mixtio agebatur, inter manus propinantium ita exinanitum est, atque subductum, vt nullus assistentium vllo modo scire potuisset, quanam ratione perditum esse videretur. Sciebat sanè, conscientiâ propriâ teste, propinatrix, nec quodam casuali more fore dilapsum, nec à manu dispensatrici esset direptũ, neq; aliquâ fraude subductum. Verùm animo æstuabat obliquo; quoniam nil tale viderat, nil simile auditu perceperat: mirabatur, quia oculatim q̃ prius manibus vectitabat, iã nullo furante, vel rapiente carebat.

* M. S. B. Gisala
* M. S. B. VValochonis
* M. S. B. detulerat
* M. S. B. hanniba *genus poculi*

Quid plura? Vbi horæ diei protensa est dilatio, spes quoque recipiendi vasculi mirè subducti pariter * sublata est. Igitur completis, pro quibus venerat, causis, ad sua

* M. S. B. pariter exitiit sublata redditio.

sua dispoſito itinere * redire conati ſunt. Dumq́ue de pluribus, vt mos iterantium eſt, inter ſe ſermocinarentur, & quærerent, vaſis quoque perditi mentio affuit * curioſa. Tum ſubitò eminus quidam illorum aſpiciens, vidit * idipſum in medio viæ itinere vas iacere expoſitum, * & Dominæ iam dictæ cum nimiâ admiratione afferentes, vna cum eâdem gratias retulêre gaudentes. A quo ſtatim loco ad Cœnobium remiſerunt; vt ibi mirabiliter ſeruaretur, vbi Chriſtus per Virginem mirabilia operatur.

* in M. S. B. deest redire
* M. S. B. copioſa
* M. S. B. idem
* M. S. B. addit, idipſum & immutatū. Quod tollentes, & Dominam, &c.

CAPVT VI.

De muliere muta, in qua quinque facta ſunt ſigna.

VIcus quidam in * Baioaria regione, pago * *Chelesgo-nue Adaloltesloch* nūcupamine vocitatus, multis mihi quoque iſta fideliter * ſcribenti pleniſſimè cognitus: In quo quædam adhuc in vita ſuperſtes eſt muliercula, nomine Aſnia, in qua ſuperna miſeratio, ſuffragantibus Matris noſtræ meritis, quinque euidentiſſima operari dignata eſt ſigna. Nam labili & tremulo corpore tota caduca, inſuper obſiſtente obice inflexibilis linguæ miſerabiliter muta, ad cunctis notum Monaſterium eſt adducta, vt ibi inueniret remedium, vbi multi * quæſitum inuenêre præſidium. Cumq́ue inibi lacrimoſas ad Dominum funderet preces, vox in ſublimi audita eſt ſupplicantis, & ſociatâ lacrimis ſanitate corporeâ, incolumis mulier remeauit ad propria.

* M. S. Boiaria
* ſ. Adelslag, pagus iam dictionis Eyſtetten. inter Eyſtadium, & Aureatum oppidum, vulgo Naſſenfels.
* M. S. B. exaranti
* M. S. B. quæſiêre, &

Sed inſipidæ multorum ruſticanorum ac ſæcularium mentes, dum dona à Domino & præmia conſe-

ſteret, contigit vt mulier, in cuius domo hoſpitandi gratia conmanebat, *cerillum*, qui lingua * Teutonica * *riſta* nominatur, accipere ad purgandum ſuaderet. Tum illa iterum oblita ſui ſumpſit, & incaſſum laborem aggredi voluit. Sed ſtatim temerariæ manui quaſi indiſſolubile bitumen adhæſit. Sciens interea medicinalem prope ſe conſiſtere domum, ad eam non ſine pudore cucurrit, onerosam manum expoſuit, vt cunctis Omnipotens patenter oſtenderet, quanta in vna ancillula pręſumptio permaneret, quantaq; ſua ineffabilis clemētia ac patientia è contra clareſceret. Nam curua, cui linum alienum quaſi glutinum hæſerat, manus, ad priſtini modi reparata eſt qualitatem, & tortuoſam omnem neſciuit habere curuedinem.

* M. S. B. Diutiſca
* Germ. verſio ein reiſten flachs.

Sed nec ſic ruſtica mens, & cor indocile meruit caſtigari. Accidit nempe iterum, vt eo tempore, quo per vniuerſum prope mundum Cruces in Rogationibus ſolemniter ſolent à fidelibus eleuari, eadem non ſine conſueto ad Monaſterium onere deueniret. Nam in anteposita ſeptimana media * post hebdomadam crucium ſecutura, arripiens pannum more muliebri ſarciēdum, hæſit animo priorum reminiſcens euentuum. Cumq; eam & neceſſitatis opus * vrgeret, & timor ab opere cohiberet, ſicq; in meditullio bifarii certaminis * conſtituta, longius hæſitaret, ad commanentem, & coram poſitam ſic locuta eſt fœminam: Depone, inquit, opus quod geſtas in manibus, & vice mea dolens, vicinitatis gratia * me aggredere, pannumq; ad ſarciendum miſericorditer tolle. Veréne, ait illa, tam fatuam me eſſe conſideras, vt neceſſariò nendi opere derelicto, tui panniculi inſerturam accipiam, teq; otioſis manibus reſidente, pro

* M. S. B. p obdomadæ crucium ſecuturæ
* M. S. B. vrgueret
* M. S. B. poſita
* M. S. B. meum

te, pro

te, pro te dici laborem assumam? Non ergo ita me fa-
cturam agnoscas: Sed si tu nendi opus assumis, ego sta-
tim pro te sarcire incipiam; quo nec te vacantem dies
operis amicus aspiciat, nec me in labore torpentem in-
veniat. Stultum nempe videtur, alieno labori exerci-
tium adhibere, & à suo cessare. Cumque mulier huius-
modi verba protraheret præfata, prouocantis vicinæ ar-
ripiens * conū, cœpit incunctanter fila protrahere, atq; * fcolum
in eodem opere diligenter insistere. Necdum sane tria,
aut quatuor, siue quinq; ab ipso fila * produxit, & ecce * M. S. B. protraxit.
productilis manui dexteræ ita vnitus est fusus, vt nullo
pacto ab ea * scindi potuisset. Sinistra quoque, diuina * M. S. B. discindi
eam flectente virtute, tota statim inuenta est curua at-
que retorta. Tum iterum ignominiæ pudore referta,
ad solitam refugiens * artem, ad basilicam Virginis re- * M. S. B. arcem
cucurrit. Factum est autem, dum paratis omnibus cru-
ces à fidelibus efferrentur, vt ipsa etiam iuncta plebis
Dominicæ * agmini præuia atque signifera * filamina * M. S. agmine
sequeretur. Cumque sæpius ruminando crebras ad * M. S. B. flamma
DEVM preces effunderet, pendula prælibati fusi mate-
ries elapsa à dextera, dissidium mirabile fecit. Nec mo-
ra; & statim sinistra tristi curuedine derelicta, priori re-
stituta est æquitati. Quod miraculum dum fideles po-
puli vnâ cum sanctimonialibus agnouerunt, menti-
bus ac manibus ad cœlum erectis, Dominum laudaue-
runt.

Postremò, eadem in ipso monasterio constituta an-
te diem festum solemnis Paschæ, rogata est à iam dicta
custodæ basilicæ * Deithilda, quæ mihi sollicitè requi- * M. B. B. Diothilda
renti ista veraciter replicauit, vt thecam ipsius plumario
* inductili insertam arepta acu consueret, & vt mos est in * M. S. B. indutili

illis diebus, familiariter repoliret. Fecit, & quanta * potuit celeritate compleuit. At vbi disiunxit ab opere, aliud ei simile impositum est à sanctimoniali, nomine * Rualthilda. Quod dum cœpit, statim acus manui fortiter * hæsit, & inuita illud quod cœperat opus reliquit, ad Ecclesiam cucurrit, manum * cum hærente metallo ad cœlum erexit, veniam à Domino & Virgine sancta * quæsiuit, quam & sine dilatione promeruit. Hæc in vna muliere gesta miracula, omnis in eodem Monasterio posita testatur Ecclesia.

* M. S. B. valuit

* M. S. B. habet Ruathilda

* M. S. B. adhæsit

* M. S. B. cum hærenti brachio

* M. S. B. requisiuit

CAPVT VII.

De muliere clauda.

Ressingam dicunt incolæ villam in eadem prouincia * sitam. In qua dum quædam mulier clauda vtroque pede aliquandiu permaneret, tandem cum suorum adminiculo vicinorum, seu etiam propinquorum, ad Virginis delata est oratorium. Quod dum modico tempore debilis pedibus moraretur, florida verni temporis dignitate, & ipsa tripudianti mente florescens, plenissimæ restituta est sanitati. Sed dum paululum inibi non animo, verùm corpore constituta postmodum * remaneret, visum est ei, vt Monasterium deserens, ad propria remeare debuisset. Quod dum opere percompleuit, statim dirum suo in corpore languorem incurrit. Igitur aliquantum temporis stimulata languoribus, reuecta cum eodem est ad cellam incommodo: Vbi diuinitus hactenus castigata, non adhuc plenariæ sanitati donata moratur.

* M. S. B. CHESKINGAM

f Keschingam siue Cæsaream, oppidum mille passibus Ingolstadio dissitum

* M. S. demoraretur

CAPVT

CAPVT VIII.

De tribus cæcis illuminatis.

INterea dum hæc agerentur, quidam ignoti tres à natiuitate aduenêre cæci & pauperie *vrgente mendici, corporis & luminis solatium requirentes, & lacrimosis singultuum vocibus postulantes. Quos cùm materfamilias *Luibilla cum deuotis DEO famulabus humaniter suscepisset, & victus alimoniam misericorditer ministrasset, visum est eis vt suffragia Virginis attentius implorarent, quatenus visum à primæua origine inexpertum eius meritis & precibus adipisci mererentur. Motibus igitur quibus poterant in Ecclesiam intrauêre, & facta oratione votiua, tangi sibi cæca lumina oculorum, de *cambutta Virginis petiêre. Quod dum factum *esset, sensim visus incognitus peruenit ad orbes, & irradiati radiis iubaris, lucem creuere gaudentes. Id omnes, qui vidêre & auidiêre, mirati sunt, & ei, qui solus mirabilia magna facit, gratias non modicas retulerunt.

* M. S. vrguente

* M. S. Luibilla

* Germ. vertit ein Paar/ferrum. Alioqui cambutta est etiam baculus viatorius.

* M, S. B, est

CAPVT IX.

De pisce.

QVadam die, dum ego ad idem Monasterium aliquid noui ac desiderabile * audire cupiens, aduenissem, & * fideli animo, si quid auditu dignum existeret, quod ad notitiam * perueniret, requirerem, affuerunt duæ ex Virginis famulabus * Diethildis & * Ruthildis, quæ meæ satisfacerent voluntati, mihique cum cautione & cartula resid ẽti, inter alia * huiuscemodi retulêre miraculum. Accidit namque, * aiunt, vt multorum moris est quæ-

* M. S B. nõ habet audire

* M. S. felici

* M. S. peruenisset

* M. S. Diathildis

* M. S. Ruathildis

* M. S. huiusmodi verba

* M. S. vt aiunt

 ren-

rentium Dominum, & suorum interuentiones sanctorum, vt quidam orationis * causa idem oratorium adiissent.

* M. S. gratia

Intrantes verò in Ecclesiam, dum adorauerunt *viuentem in secula*: etiam beatissimæ Walpurgis pronis vultibus quæsiere suffragia. Completoque pro quo venerant voto, insuper acceptâ benedictione, quæ comes in eundo existeret animæ: viatici quoque corporalis eulogiam à matrefamilias accepêre. Erat enim tempus abstinendi à carne: & idcirco ea, quæ manus largientis inuenerat, secum animo deuoto tulêre, scilicet, panem, caseum atque * ceruisiam.

* M. S. ceruisam

Dum ergo ab eis piscis quæreretur, & negante, qualitatiui temporis vice minimè adipisci potuisset, onerati sarcinâ superius exaratâ, iter cœpere redeundi ad propria. Cumque plurima fabulantes * comitantium more incederent, ventum est ad locum, vbi grata & virentia iumentis gramina, pro temporis congruentia, inuenirentur. In quo exonerato eorundem pondere iumentorum, de Dei donis ac datis, & benedictionibus Virginis percepturi, sese in fœnum viride prostrauerũt. Tum is, qui eorum sarcinis manum immittere familiarius consueuerat, * sistarcias euidenter aperiens, dum ea, quæ in monasterio pro benedictione acceperat, & propriâ conscientiâ teste, ipse posuerat, rursum tolleret, & discumbentibus apponeret, miro admodum modo inuisum antea & intactum aspexit & sustulit piscem, ipsumque inter cætera, quæ ministrandi officio apponere festinabat, haud absque nimia atque terrifica apposuit admiratione. Non tamen mirum, quod acciderat ante eiusdem inopinati pisciculi fractionem, ausus est silentio

* M. S. B. commeantib.

* M. S. B. *Sistartias* peras, sacciperia

lentio tegere, verum vt acciderat, cogente admirabilis signi virtute, compulsus est enarrare.

O, inquit, * socii, fidique collegæ; nequaquam existimo vos de * acceptis Monasterii eulogiis prius cibum debere percipere, quàm de eo, quod nobis præsentialiter accidit signo clarissimo, laudes Domino decantare. Nam ante positum, quem vos cernitis, piscem, nescio quis ad vestri edulii pabulum præparasset, & vnde venisset, quisue in sistarcia victifera posuisset. Vnum * hoc veraci sermone confiteor, nec domi tulisse, nec in via aut dono, aut pretio acquisisse; sed neque ad Monasterium, aut istum, aut quemlibet alium accepisse. Reminiscitur igitur vestra sagax prudentia, pisces in eodem arcisterio humiliter postulasse; verùm accipere nullatenus potuisse. Huius rei, DEO teste, me veriloquum & conscium testem adhibeo; nullius alterius, nisi diuini muneris destinatione collatum. Quapropter animaduertite, & diligenti consideratione perpendite, eundem in cibum non esse sumendum: verùm ad indicium fidelis populi, ad Cœnobium ocius remittendum; vt ibi fideliter seruetur pro signo, quem cœlesti meruistis accipere dono.

* M. S. filii
* M. S. percepti
* in M. S. B. deest hoc

Quod audientes & incredibili admiratione stupentes, Domino gratias reddiderunt. Postea de percepta benedictione Monasterii, * cum maximis hymnologiis capientes, quis ad cellam Virginis piscem * reportare potuisset, curiosè tractare cœperunt. Sed cùm nullum ad præsens inuenire potuissent, qui eum fideliter deportaret, sumpto velociter necessario corporis victu, iter arripuere iucundum, non obliti secum vectitare pisciculum. Vbi verò ad villam, quæ dicitur * Dietfurt feliciter

* M. S. B. addit cibum
* M. S. B. reuehere
* M. S. Dioetfurt

ciens super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens DEVM, statim super credulam de cœlo *respexit, & vacuatis luce luminibus solis radios ministrauit. Expauescens ergo de lumine, quia cernebat quod non viderat ante, illuminatori suo Christo, & interuentrici Virgini, cum cæteris astantibus gratias egit, & sana discessit.

* M. S. B. prospexit

CAPVT II.

De pane mulieris à sinu perdito, & postea inuento.

QVædam prægnans mulier, fœmineæ mollitiæ perculsa formidine, appropinquante parturiendi luctuoso dolore, votum vouit ex corde, vt si inter exitiales angustias, mortem quam timebat, euaderet, membraq; tenerrima carissimi editi secura exponeret, cum *sugente eodem ab vberibus nato, oratorium sacræ Virginis lætissima peteret, & ex quantitatula propria coram *altari eundem infantulum librare debuisset. Nato denique prosperè vt optauerat, infante, venit, vt *veraciter asseritur, duobus onerata de panibus, & vase *ceruisia referto. Cumque votiua simul cum infantulo equilibræ imponerent munera, librato cum vno ex panibus eisdem, & *ceruisia puerulo, panis alter, qui excessit in pondere, ablatus est, & in sinu camerario deuectricis statim repositus. Quod *vtrumq; fecerit auaritiæ stimulo tacta, an stoliditate sæcularis ignauiæ pressa, diuino seruetur examini, cui in latebris nil opertum, nil inuenitur occultum. Prudens tamen lector auaritiæ imputat; quod & signum sequens patenter insinuat.

* M. S. B. fugiente
* M. S. B. coram altare
* in M. S. B. dicitur; veraciter
* M. S. B. ceruisa
* M. S. B. ceruisa
* M. S. B. vtrum

Com-

Completo * namque pueri iam dicto libramine, volentes iam egredi completâ oratione, panis in sinu ab ipsâ, quæ eum ibi locauerat, quæsitus, & non inuentus est. Attonita mulier stipe exonerata carissimâ, circumspexit, & sicubi torta ceciderit, curiosius requisiuit. Sed fallentibus eam oculis, fallente etiam credulo sinu, dum à Basilica vacua egredi niteretur, sanctificatione, vt reor, aquæ benedictæ, quæ in petra, iuxta valuas oratorii, ad partem aquilonarem assiduè funditur, ne intrantibus aliquando deesse * videatur, se conspergere cupiens, damnum sublatæ annonæ in eadem petra * positum inuenit, agnouit, erubuit, ibique ad indicium venientium dereliquit, & ad locum vnde venerat, remeauit. Si quis ergo titubat, illò si vult pergat, & de muro hactenus eundem panem pendentem aspiciat.

* M. S. E. autem

* M. S. E. videbatur

* M. S. E. iacentem.

CAPVT III.

De puluillo in via perdito.

PLurimis Alamanniæ regionis assiduè Virginis suffragia deuota mente requirere festinantibus, quia finibus eorum adiacens est Monasterium, venit cum cæteris commeâtibus ab eisdem partibus, etiam mulier quædam ex pago Blisgovve, nomine Rumhilda, pro peccatis admissis veniæ indulgentiam quæsitura. Vbi dum completa competenti oratione, impositoque altaribus, quod detulerat, munere, atque percepta solemni benedictione, in via iam posita, facta hora quietis nocturnæ, puluillus, qui cum lecti apparatu in itinere fuerat deportatus, capiti supponendus iacentis, quæsitus inter sarcinas diu est, & non inuentus.

Facta verò ibi vlterius desperatione inueniendi, ait prælibata ad suos, qui aderant, materfamilias: Iam socii curam inquirendi sollicitam ponite, & pro huiusmodi damno æstuare nolite: reliqui forsitan in Monasterio, à quo hodie læta discessi: inuenietur, mihique reddetur. Sicque disiunctum est à * quæstione perditi * capitalis: & sopori membra donata. Illucescente verò matutinali horâ sequentis diei, ad sua redire parati, iter cœpere festini. Cùm autem ad domum propriam deuenissent, curiosa mulier folli sibi præstito, vbi iam * ductus in itinere fuerat locatus puluillus, haud plenius credens per crinitas * lanugies apprehendens, fortiter excussit, illudque, quod non latebat, inuenire voluit. Sed vacuus illo * folliculus vim quasi passus, id quod non habuit, nec ostendit, nec reddidit. Transcursa verò hebdomada subsequente, is qui follem aptum itineri præstitit, venit, quod præstiterat requisiuit, acceptumq; festinus excussit, buxulam paruam reperit, domiq; follem reuexit, resedit, iuxta se collocauit, atque iterum excutere festinauit. Mirum dictu. Is, qui sæpius antea excussus fuerat follis, nil nisi buxulam reddidit: tunc demum quasi ligaturam muliebrem euomuit, & qui prius inonustus apparuit, onerosum se cunctis patenter ostendit. * Ipse denique dispensabili omnipotentis augmēto paulatim incipiens cumulari, in ipsam candem, qua dudū exstiterat, quantitatem excreuit, & * capitalis pristini se intuentibus exhibens formam, ipsum qui * perditus iam olim fuerat, & non * alium, liquido fore monstrauit. Viso interea tam inopinato signi miraculo, & gratias multimodas agentes Deo, idem Adalberoni detulerunt Episcopo: ille verò prælibato statim misit Cœnobio; vbi ad indi-

tium

* M. S. B. quæsitione
* M. S. B. capitali
* M. S. dictus
* M. S. B. lanugines
* Germanicus Interp. vertit, ein Wathsack Fuit aliquid simile ei, quod nunc vocamus ein Fälcissen.
* M. S. B. Ipsa
* puluinaris
* M. S. B. perditum
* aliud

tium venientium pendet de muro, & fidem hæsitanti & incredulo tribuit populo.

CAPVT IV.

De * VVantis.

* vox Gallo-belgica pro Chirothecis.

HVic aliquod * simile in eodem Monasterio operatum est miraculum, quod non æstimo silentio contegendum. Quidam à partibus * Franciæ illò adueniens, nescio * vtrum procerúia mundialis supercilii tactus, an incuriæ obliuione corruptus, siue etiã improuida stoliditate deceptus, cũ * Wantis, quos habuerat in manibus, Ecclesiam publicè introiuit. Verùm vagabundam ad se retrahens mentem, Wantos à manibus euellere voluit: verùm neutrum inuenit. Cumque de his diutius tacitus miraretur, factâ tandem oratione, acceptâque, pro quâ venerat, benedictione, ad propria repedauit. Explicitis igitur quatuordecim noctibus, dum sederet cibum gustaturus ad mensam, familiari cum suis vtens colloquio, cœpit quod ei contigerat, euidenti pandere ratione. Vbi dum plura fabularetur ad socios, easdem & non alias, iuxta se iacentes inuenit * manicas.

* M. S. B. penè
* Franconiæ
* Chirothecis
* pro chirothecis ponitur.

Quod cùm vidisset, hæsit animo, & vltra quam credi * potest admirans; tandem resumpto spiritu, cœpit tractare cum suis, quid de eis agere debuisset. Cernens namque cyrometricalia munera, quæ prius nescio quo pacto perdiderat, ante se patulè * iacentia, metuebat si ad pristinos resumeret vsus, aliquid diuinæ in se operari vindictæ. Tandem competenti sumpto consilio, ad Monasterium, vbi amiserat, destinauit; decentius fore iudicans, ibi ad iudicium debere seruari, vbi copiosa

* M. S. B. possit
* M. S. B. iacere exposita

 creden-

credentis populi quotidie confluit multitudo; & * vbi plura ac desideranda cernuntur miracula; istud etiam inter cætera nihilominus panderetur. De quibus, si aliquis dubitat, si vult, eat, contrectet, & videat, & dum aspexerit, credat.

* M. S. quo

CAPVT V.

De vase inuento.

PAri etiam modo, dum * Gisila matrona pernobilis*, vxor Burchardi, * Walachonis Comitis filii, quæ antea matrimonio iuncta, fuerat Comitis Megingaudi; orationis causa, vt solita est, cellam Virginis adiisset; inprimis pro se suisque omnibus Domino supplicauit: dein erigens se, & signo Dominico muniens, eas quas secum * detulit, obtulit eulogias. Vbi ventum est ad pauperum Christi eleemosinam partiendam, datis cibi stipendiis congruentis, dum etiam pocula sedula ministraret, vas quod * *hannipa* nominatur, quo mixtio agebatur, inter manus propinantium ita exinanitum est, atque subductum, vt nullus assistentium vllo modo scire potuisset, quanam ratione perditum esse videretur. Sciebat sanè, conscientiâ propriâ teste, propinatrix, nec quodam casuali more fore dilapsum, nec à manu dispensatrici esset direptũ, neq; aliquâ fraude subductum. Verùm animo æstuabat obliquo; quoniam nil tale viderat, nil simile auditu perceperat: mirabatur, quia oculatim quę prius manibus vectitabat, iã nullo furante, vel rapiente carebat.

Quid plura? Vbi horæ diei protensa est dilatio, spes quoque recipiendi vasculi mirè subducti pariter * sublata est. Igitur completis, pro quibus venerat, causis, ad sua

* M. S. B. Gisala
* M. S. B. VValochonis
* M. S. B. detulerat
* M. S. B. hanniba genus poculi
* M. S. B. pariter exiuit sublata reddicio.

sua disposito itinere * redire conati sunt. Dumque de pluribus, vt mos iterantium est, inter se sermocinarentur, & quærerent, vasis quoque perditi mentio affuit * curiosa. Tum subitò eminus quidam illorum aspiciens, vidit * idipsum in medio viæ itinere vas iacere expositum, * & Dominæ iam dictæ cum nimiâ admiratione afferentes, vna cum eâdem gratias retulêre gaudentes. A quo statim loco ad Cœnobium remiserunt; vt ibi mirabiliter seruaretur, vbi Christus per Virginem mirabilia operatur.

* in M. S. B. deest redire
* M. S. B. copiosa
* M. S. B. idem
* M. S. B. addit, idipsum & immutatũ. Quod tollentes, & Dominam, &c.

CAPVT VI.

De muliere muta, in qua quinque facta sunt signa.

VIcus quidam in * Baioaria regione, pago * *Chelesgo-vue Adalolteslech* nũcupamine vocitatus, multis mihi quoque ista fideliter * scribenti plenissimè cognitus: In quo quædam adhuc in vita superstes est muliercula, nomine Asnia, in qua superna miseratio, suffragantibus Matris nostræ meritis, quinque euidentissima operari dignata est signa. Nam labili & tremulo corpore tota caduca, insuper obsistente obice inflexibilis linguæ miserabiliter muta, ad cunctis notum Monasterium est adducta, vt ibi inueniret remedium, vbi multi * quæsitum inuenêre præsidium. Cumque inibi lacrimosas ad Dominum funderet preces, vox in sublimi audita est supplicantis, & sociatâ lacrimis sanitate corporeâ, incolumis mulier remeauit ad propria.

* M. S. Boiaria
* f Adelslag. pagus iam ditionis Eystetten. inter Eystadium, & Aureatum oppidum, vulgo Nassenfels.
* M. S. B. exaranti
* M. S. B. quæsiêre, &

Sed insipidæ multorum rusticanorum ac sæcularium mentes, dum dona à Domino & præmia conse-

quuntur indebita, non ad laudes, nec ad dignas gratiarum se præparant actiones; quin magis pro dignis munus se *cœlestis percepisse æstimant meritis, aut certè nullis præcedentibus meritis, sed solùm diuinæ auxilio miserationis ita in bono deficiunt opere, vt nequaquam *stabiles inueniantur in fide: Quod huius mulierculæ fortuitus probat euētus, dum rei gestæ narratur auditus. Veniens *namque domum tota restituta saluti, infra decem fermè hebdomadarum circulum, nullas, vt opinor, debitas Altissimo retulit grates; quin potius segnitiæ temporalis incuria pressa, mentem lubricam ad caduca reflexit, & haud obliuiscēdæ propriæ oblita est sanitatis. Vnde post explicatam prælibati temporis quantitatem, dignatus *Omnipotens salubri castigatione suam commonere ancillam, ne tanti muneris felicissimo dono ingrata *fore videretur; quadam nocte huiusmodi visionis eam aggressus est voce: Cur, inquit, muliercula, iam enim Domino grata, de perceptis tantis beneficiis, cœlesti gratiæ hactenus exsistere voluisti ingrata? Redi igitur ad mentem tuam omni dubitatione submota, & quod in te deifica virtus sit operata, nubilo cordis detерso, recogita: Vndeque tibi salus indignæ prouenerit, curiosissima animi scrutatione pertracta. Et cum incunctanter tuæ tenebras ignorantiæ diligenti examinatione discusseris, surgens concito gradu, ad Monheim Monasterium perge, ibique competenti completâ oratione, *Adeithilda, custrice Ecclesiæ, ad operandum propriis manibus, aliquid operis accipe, vt scias de reliquo tuæ Dominæ debitum impendere famulatum, *de qua insperatæ salutis meruisti commercium. Quod si non feceris, scias te proculdubio aliquam in tuo corpore

* M. S. cœlestes
* M. S. B. habiles
* M. S. B. etenim domi
* M. S. addit, Deus
* M. S. non habet fore
* M. S. B. Adiothilda
* M. S. B. à qua

pore * invenire molestiam, vt ipsa vexatio intellectum auditui conferat, * quem lenis admonitio non regebat. * M. S. citius pati * M. S. B. quam

Tali itaque sermone diuinitus decenter edocta, ad tempus distulit; Verùm inter, nuntio directo fideli, opus ad vnius mensuram collarii domi posita tulit, operari cœpit, atque summa cum auiditate perfecit. Cumq; ad Monasterium puellarum humilis detulisset, apto eo locello reposito, * aliquo etiã muliebris operis sumpto, ad locum vnde venerat remeauit. Quò veniens, dum id, quod acceperat, operari cœpisset, eodem improuisè relicto, aliud nescio quid in manibus tulit. In quo dum modicum sudoris impenderet, statim vi quasi grauissima acrius impellente, sinister oculus à theca familiari exsiliens, suppositæ genæ cæcus vnitus est hospes. Venère tum demum commanentes vicini, horrendoque viso miraculo, nil sui aliud solacii adhibere valentes, orbem noctiferum suo restituere locello. Vbi inefficaci tandiu resedit hospitio, quo ad vsque Virginis suffragia, in loco cœlitus dedicato, * monoptalmia sollicitè requisiuit. Tum pristinam ad mentem referens visionem, paulatim verba iubentis, monentisque colligere cœpit, & ob culpam suæ stoliditatis atque ignauiæ tale in se meruisse confessa, visum ei, quem contumacia tulerat, humilitas reparauit. Iterum autem ancillario onusta ex opere, domum, quam reliquerat, requisiuit, seseque ad laboris exercitium subdere festinauit; & liquidâ voluntate comite, ocius ad effectum vsque * pertraxit, ipsique, quæ ei tradiderat, fideliter consignauit. * M. S. quiddam etiã muliebris operis sumpsit * M. S. monotalma * monophthalma tacula * M. S. B. perduxit

Quodam præterea tempore, dum ipsa eadem in eodem vico, in quo sanctimonialium Christi eiusque Virginis famulatus assiduè agitur, aliquid operatura consi-

ſteret, contigit vt mulier, in cuius domo hoſpitandi gratia conmanebat, *cerillum*, qui lingua * Teutonica * *riſta* nominatur, accipere ad purgandum ſuaderet. Tum illa iterum oblita ſui ſumpſit, & incaſſum laborem aggredi voluit. Sed ſtatim temerariæ manui quaſi indiſſolubile bitumen adhæſit. Sciens interea medicinalem prope ſe conſiſtere domum, ad eam non ſine pudore cucurrit, oneroſam manum expoſuit, vt cunctis Omnipotens patenter oſtenderet, quanta in vna ancillula prçſumptio permaneret, quantaq; ſua ineffabilis clemẽtia ac patientia è contra clareſceret. Nam curua, cui linum alienum quaſi glutinum hæſerat, manus, ad priſtini modi reparata eſt qualitatem, & tortuoſam omnem neſciuit habere curuedinem.

* M. S. B. Diutiſca
* Germ. verſio ein reiſten Flachs.

Sed nec ſic ruſtica mens, & cor indocile meruit caſtigari. Accidit nempe iterum, vt eo tempore, quo per vniuerſum prope mundum Cruces in Rogationibus ſolemniter ſolent à fidelibus eleuari, eadem non ſine conſueto ad Monaſterium onere deueniret. Nam in antepoſita ſeptimana media * poſt hebdomadam crucium ſecutura, arripiens pannum more muliebri ſarciẽdum, hæſit animo priorum reminiſcens euentuum. Cumq; eam & neceſſitatis opus * vrgeret, & timor ab opere cohiberet, ſicq; in meditullio bifarii certaminis * conſtituta, longius hæſitaret, ad commanentem, & coram poſitam ſic locuta eſt fœminam: Depone, inquit, opus quod geſtas in manibus, & vice mea dolens, vicinitatis gratia * me aggredere, pannumq; ad ſarciendum miſericorditer tolle. Verẽne, ait illa, tam fatuam me eſſe conſideras, vt neceſſariò nendi opere derelicto, tui panniculi inſerturam accipiam, teque otioſis manibus reſidente, pro

* M. S. B. hebdomadæ crucium ſecutura
* M. S. B. vrgueret
* M. S. B. poſita
* M. S. B. meum

te, pro te diei laborem assumam? Non ergo ita me fa-
cturam agnoscas: Sed si tu nendi opus assumis, ego sta-
tim pro te sarcire incipiam; quo nec te vacantem dies
operis amicus aspiciat, nec me in labore torpentem in-
veniat. Stultum nempe videtur, alieno labori exerci-
tium adhibere, & à suo cessare. Cumque mulier huius-
modi verba protraheret præfata, prouocantis vicinæ ar-
ripiens * conũ, cœpit incunctanter fila protrahere, atq; * f colum
in eodem opere diligenter insistere. Necdum sane tria,
aut quatuor, siue quinq; ab ipso fila * produxit, & ecce * M. S. B. protraxit
productilis manui dexteræ ita vnitus est fusus, vt nullo
pacto ab ea * scindi potuisset. Sinistra quoque, diuina * M. S. B. discindi
eam flectente virtute, tota statim inuenta est curua at-
que retorta. Tum iterum ignominiæ pudore referta,
ad solitam refugiens * artem, ad basilicam Virginis re- * M. S. B. arcem
cucurrit. Factum est autem, dum paratis omnibus cru-
ces à fidelibus efferrentur, vt ipsa etiam iuncta plebis
Dominicæ * agmini præuia atque signifera * filamina * M. S. agmine
sequeretur. Cumque sæpius ruminando crebras ad * M. S. B. flamina
DEVM preces effunderet, pendula prælibati fusi mate-
ries elapsa à dextera, dissidium mirabile fecit. Nec mo-
ra; & statim sinistra tristi curuedine derelicta, priori re-
stituta est æquitati. Quod miraculum dum fideles po-
puli vnà cum sanctimonialibus agnouerunt, menti-
bus ac manibus ad cœlum erectis, Dominum laudaue-
runt.

Postremò, eadem in ipso monasterio constituta an-
te diem festum solemnis Paschæ, rogata est à iam dicta
custodæ basilicæ * Deithilda, quæ mihi sollicitè requi- * M. B. B. Diothilda
renti ista veraciter replicauit, vt thecam ipsius plumario
* inductili insertam arepta acu consueret, & vt mos est in * M. S. B. inductili

illis diebus, familiariter repoliret. Fecit, & quanta * potuit celeritate compleuit. At vbi disiunxit ab opere, aliud ei simile impositum est à sanctimoniali, nomine * Rualthilda. Quod dum cœpit, statim acus manui fortiter * hæsit, & inuita illud quod cœperat opus reliquit. ad Ecclesiam cucurrit, manum * cum hærente metallo ad cœlum erexit, veniam à Domino & Virgine sancta * quæsiuit, quam & sine dilatione promeruit. Hæc in vna muliere gesta miracula, omnis in eodem Monasterio posita testatur Ecclesia.

* M. S. B. valuit
* M. S. B. habet Ruathilda
* M. S. B. adhæsit
* M. S. B. cum hærenti brachio
* M. S. B. requisiuit

CAPVT VII.

De muliere clauda.

R Essingam dicunt incolæ villam in eadem prouincia sitam. In qua dum quædam mulier clauda vtroque pede aliquandiu permaneret, tandem cum suorum adminiculo vicinorum, seu etiam propinquorum, ad Virginis delata est oratorium. Quod dum modico tempore debilis pedibus moraretur, florida verni temporis dignitate, & ipsa tripudianti mente florescens, plenissimæ restituta est sanitati. Sed dum paululum inibi non animo, verùm corpore constituta postmodum * remaneret, visum est ei, vt Monasterium deserens, ad propria remeare debuisset. Quod dum opere percompleuit, statim dirum suo in corpore languorem incurrit. Igitur aliquantum temporis stimulata languoribus, reuecta cum eodem est ad cellam incommodo: Vbi diuinitus hactenus castigata, non adhuc plenariæ sanitati donata moratur.

* M. S. B. * CHESKINGAM f Keschingam siue Cæsareã, oppidum mille passibus Ingolstadio dissitum
* M. S. demoraretur

CAPVT

CAPVT VIII.

De tribus cæcis illuminatis.

INterea dum hæc agerentur, quidam ignoti tres à natiuitate aduenêre cæci & pauperie * vrgente mendici, corporis & luminis solatium requirentes, & lacrimosis singultuum vocibus postulantes. Quos cùm materfamilias * Luibilla cum deuotis DEO famulabus humaniter suscepisset, & victus alimoniam misericorditer ministrasset, visum est eis vt suffragia Virginis attentius implorarent, quatenus visum à primæua origine inexpertum eius meritis & precibus adipisci mererentur. Motibus igitur quibus poterant in Ecclesiam intrauêre, & facta oratione votiua, tangi sibi cæca lumina oculorum, de * cambutta Virginis petiêre. Quod dum factum * esset, sensim visus incognitus peruenit ad orbes, & irradiati radiis iubaris, lucem creuere gaudentes. Id omnes, qui vidêre & audiêre, mirati sunt, & ei, qui solus mirabilia magna facit, gratias non modicas retulerunt.

* M. S. vrgente
* M. S. Luibilla
* Germ. vertit ein Paar/feterrum. Alioqui cambutta est etiam baculus viatorius.
* M. S. B. est

CAPVT IX.

De pisce.

QVadam die, dum ego ad idem Monasterium aliquid noui ac desiderabile * audire cupiens, aduenissem, & * fideli animo, si quid auditu dignum existeret, quod ad notitiam * perueniret, requirerem, affuerunt duæ ex Virginis famulabus * Diethildis & * Ruthildis, quæ meæ satisfacerent voluntati, mihique cum cautione & cartula residēti, inter alia * huiuscemodi retulêre miraculum. Accidit namque, * aiunt, vt multorum moris est quæren-

* M. S B. nõ habet audire
* M. S. felici
* M. S. peruenissem
* M. S. Diathildis
* M. S. Ruathildis
* M. S. huiusmodi verba
* M. S. vt aiunt

rentium Dominum, & suorum interuentiones sanctorum, vt quidam orationis * causa idem oratorium adiissent.

* M. S. gratia

Intrantes verò in Ecclesiam, dum adorauerunt *viuentem in secula:* etiam beatissimæ Walpurgis pronis vultibus quæsière suffragia. Completoque pro quo venerant voto, insuper acceptâ benedictione, quæ comes in eundo existeret animæ: viatici quoque corporalis eulogiam à matrefamilias accepêre. Erat enim tempus abstinendi à carne: & idcirco ea, quæ manus largientis inuenerat, secum animo deuoto tulère, scilicet, panem, caseum atque * ceruisiam.

* M. S. ceruisam

Dum ergo ab eis piscis quæreretur, & negante, qualitatiui temporis vice minimè adipisci potuisset, onerati sarcinâ superius exaratâ, iter cœpere redeundi ad propria. Cumque plurima fabulantes * comitantium more incederent, ventum est ad locum, vbi grata & virentia iumentis gramina, pro temporis congruentia, inuenirentur. In quo exonerato eorundem pondere iumentorum, de DEI donis ac datis, & benedictionibus Virginis percepturi, sese in fœnum viride prostrauerũt. Tum is, qui eorum sarcinis manum immittere familiarius consueuerat, * sistarcias euidenter aperiens, dum ea, quæ in monasterio pro benedictione acceperat, & propriâ conscientiâ teste, ipse posuerat, rursum tolleret, & discumbentibus apponeret, miro admodum modo inuisum antea & intactum aspexit & sustulit piscem, ipsumque inter cætera, quæ ministrandi officio apponere festinabat, haud absque nimia atque terrifica apposuit admiratione. Non tamen mirum, quod acciderat ante eiusdem inopinati pisciculi fractionem, ausus est silentio

* M. S. B. commeantib.

* M. S. B. *Sistartias* peras, sacciperia

lentio

lentio tegere, verum vt acciderat, cogente admirabilis signi virtute, compulsus est enarrare.

O, inquit, * socii, fidique collegæ; nequaquam existimo vos de * acceptis Monasterii eulogiis prius cibum debere percipere, quàm de eo, quod nobis præsentialiter accidit signo clarissimo, laudes Domino decantare. Nam ante positum, quem vos cernitis, piscem, nescio quis ad vestri edulii pabulum præparasset, & vnde venisset, quisue in sistarcia victifera posuisset. Vnum * hoc veraci sermone confiteor, nec domi tulisse, nec in via, aut dono, aut pretio acquisisse; sed neque ad Monasterium, aut istum, aut quemlibet alium accepisse. Reminiscitur igitur vestra sagax prudentia, pisces in eodem arcisterio humiliter postulasse; verùm accipere nullatenus potuisse. Huius rei, DEO teste, me veriloquum & conscium testem adhibeo; nullius alterius, nisi diuini muneris destinatione collatum. Quapropter animaduertite, & diligenti consideratione perpendite, eundem in cibum non esse sumendum: verùm ad indicium fidelis populi, ad Cœnobium ocius remittendum; vt ibi fideliter seruetur pro signo, quem cœlesti meruistis accipere dono.

Quod audientes & incredibili admiratione stupentes, Domino gratias reddiderunt. Postea de percepta benedictione Monasterii, * cum maximis hymnologiis capientes, quis ad cellam Virginis piscem * reportare potuisset, curiosè tractare cœperunt. Sed cùm nullum ad præsens inuenire potuissent, qui eum fideliter deportaret, sumpto velociter necessario corporis victu, iter arripuere iucundum, non obliti secum vectitare pisciculum. Vbi verò ad villam, quæ dicitur * Dietfurt felici-

* M. S. filii
* M. S. percepti
* in M. S. B. deest hoc
* M. S. B. addit cibum
* M. S. B. reuehere
* M. S. Diotfurt

ter peruenerunt, obuias sibi Dei famulas superius nominatas cum magno cordis habuêre tripudio. Quibus cum rei gestæ seriem * narrassent, piscem * tradiderunt, vt eorum manibus veheretur ad sancta, in quibus Christo largiente, crebra * fiunt miracula. Detulerunt igitur ad Monasterium, & tam matrifamilias, quàm omnibus exhibentes, suspenderunt in latere prominentis parietis dedicati, vbi cerneretur à cunctis, notumque fieret omnibus, non falsum, sed verum esse quod scripsimus.

* M. S. enarrassent

* M. S. addit etiam

* M. S. operantur

CAPVT X.

De fœmina muta.

DVo à regione * Tyringiâ, Burchardi Comitis milites, * Deitharius atque Heio, sacræ Virginis quæsiêre præsidia, adducentes secum fœminam quandam humanæ modulis loquelæ carentem, vt ibi Domino miserante mereretur accipere gratiam, vbi multi multiplicem consecuti sunt veniam. Quo dum prospero itineris calle, alacri corde venissent, desiderio potiti priore, suis pro piaculis indulgentiam, fusis à fundo pectoris precibus petierunt. Dein allata munuscula altario imponentes, mulierem etiam mutam, quam secum à patria adduxerunt, animo deuoto & credulo corde Omnipotentis largifluæ miserationi, & Virginis commendauerunt munificæ pietati. Illa * etiam quia lingua non potuit, humiliati spiritus contritione indulgentiam postulauit. Peractis pro quibus venerant caussis, ad sua redire conati sunt, eandem secum mutam mulierculam ad patriam reuehentes. Cumque de eius exquisita, & non inuenta salute tristes ad propria repedarent, quadam

* Thuringia Saxoniæ prouincia

* M. S. Dietharius

* M. S. autem

dam nocte, cum lassa omnes quieti corpuscula tradidissent, ipsa quoque somnifero pausaret * in lectulo, affuit ei quædam elegantis speciei, miræque venustatis puella, quæ ei flatu placidissimo insufflauit in aures. Quæ statim euigilans, & de eadem felici visione curiosa meditatione pertractans, ligatæ ei solutum est vinculum linguæ, & modulos promptæ cœpit exercere loquelæ, referens debitas munerum largitori laudes, qui locatis secum in superis sanctis, plurima valere donauit in terris. Vnde comites & vniuersi qui audiêre mirati, lætis meatibus proprias reuisêre tellures. Sed prudenti animo cogitantes, non decere tam euidens miraculum reticeri, notum per suos monasterio sacræ Virginis facere studuerunt, vt DEI famulabus & omnibus fideliter audientibus fieret cognitum, quod in eadem fœmina diuinitus est ostensum.

* M. S. lecto

CAPVT XI.

De bubus inuentis.

MAtrona quædam genere & moribus clara, nomine Dietbirga, illis in partibus penè cunctis notissima, à finibus Alamanniæ regionis ad monasterium venit, DEI famulabus inibi commorantibus * impressura, consueto more, solatium, & pauperibus necessarium datura subsidium. Hæc cum mente promptissima atque deuotissima voluntate tam Christi ancillis, quàm egentibus partiretur, vergente iam ad occasum noctifuga die, densæ noctis atræ successere caligines. Pausantibus itaque vniuersis, minus prouida regiminis curiositate etiam ei, qui cum * onusto aduenêre carpento, nocitura sopiti

* M. S. impensura

* M. S. onerato

* M. S. quieti

sopiti * quiete dormiēre bubulci. Hi autem qui crassis in tenebris nequaquam obdormiunt, verùm vt dormientibus noceant semper inuigilant, videntes fessa labore corpora humi deiecta & iugalia quatuor sine vllius vigilis custodia stare iumenta, procaci manu iniecta, eadem cornigera furati sunt pecora, non suæ vtilitati seruanda, sed Dominæ necessariæ seruituti iterum mancipanda. Tota enim nocte, eosdem quos * furto temerario ceperant boues, casso labore minantes, ad eundem per quem Domina animalium reuersura fuerat, studuerunt tendere callem. Verè enim dignum exstitit, vt eorum captiua exsisteret præda, quorum mens fuerat Diabolo * capiente captiua. Cumque mane illucescente, à lectulis cuncti exsurgerent, surgentes etiam cum aliis boum feniferi * pulsores, furatos * inuenēre iugales.

* M. S. fronte
* M. S. captiuante
* M. S. prouisores
* M. S. inuenaire

Huius rei dispendio animo grauiter vulnerati, tandem Dominæ propriæ adhuc in eodem Monasterio cōstitutæ, furtum, quod acciderat, retulerunt. Illa fœminei cordis tacta mollitia, familiam asseruit esse culpandam, quæ tantum, taleq; facinus ausa fuisset admittere, & Monasterium in orbe celebre ausu temerario violare, ac, famositatem per vniuersum penè mundum, multorum relatione protensam, tanto crimine * infamare. Audita huiuscemodi obiurgatione inconditæ facundiæ, matrisfamilias pia simplicitas incredibili cœpit pudore pallescere, & animo fluctuante vehementius æstuare. Tandem, auita inculpabili summa cum celeritate familia, partim minis atque terroribus, partim eam cœpit appellare blanditiis; vt si obiecta foret culpabilis noxa, salutifera confessione peracta, indignam peruenire mereretur ad veniam. Verum furto haud rea domesticorum

* M. S. diffamare

rum

rum Ecclesia & immunis à culpa, nec furtum reddidit, nec se in crimine tantæ prauitatis inuoluit.

Adhuc tamen mulier suspicionis vrenti carbone in cordis intimo constituto, cœpit remeare ad propria, relicto in atrio Monasterii, quod deduci iusserat, exoneratocarpento. Cumq; anxio & nimis sollicito corde incederet, inuenit in mediâ publicâ viâ stantes illos, quos latronum comprouincialium sublatione perdiderat boues, aduentum Dominæ præstolantes. Denique viso miraculo, fallacem & suspiciosam conscientiam tacitâ obiurgatione culpauit, & pro imposito familiæ furto vehementer erubuit; boues proprios tulit, & gemino refecta de onere, ad propria rediit.

CAPVT XII.

De porco.

QVodam igitur tempore contigit, vt porci eiusdem domus in pascuis pascerentur. Adueniens itaque atrox & sanguinarius auido gutture lupus, *suem de grege atroci dente diripuit, & ad saltus optati latibulum, aspiciente pastore, deuexit. Secutus est; sed nec prædam abstulit, nec inuenit: indeque vacuus recucurrit. Lupus verò insolito more illam, quam rapuerat, sarcinā, pastoris more illæsam seruauit, & duobus *custoditam diebus, tertio sanam ad gregem redire permisit, prius lętus de illo, quod extulerat, onere: tristior postmodum, quia non potuit satiari de carne.

* M. S. B. suem egregie diripuit

* M. S. B. intactam

Explicit liber tertius.

M De

De Miraculis S. VValpurgis,

LIBER QVARTVS.

Incipit Præfatio libri quarti.

VOLVERAM huius opusculi breuiloquio metam imponere dissolutam: verum concurrentium iugiter mirabilium rerum atque signorum desiderabilis nouitas, iterum, iterumq; adscribendum impellit atque prouocat, & vt perfecto opere ad finem vsque perducam, frequenter inuitat. Non enim in initio galeati militis præliantis virtus asscribitur; verùm in fine, efficacis victoriæ virtus cum fauore à referentibus propalatur. Dignum est enim, vt laus prædicetur in fine, & finis decoretur in laude, Domino dicente: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Quapropter libelli quarti, Christo fauente, exordium capiam, & transcursis stilo currente gloriosis sacræ Virginis miraculis, ad promissum dialogum veniam,*

&

& in eo pro ingenioli quantitate admisso sudore decertem.

Siquid ergo in hoc opusculo inuisum & inauditum Lector inuenerit, pia mentis intentione percurrat, & Dominum solum mirabilia facientem agnoscat. Non enim membranis annotata essent, si mirabilia non fuissent. Legimus namque quia signa non fidelibus, sed infidelibus data sunt. Vnde credimus in nouissimis temporibus, atque periculosis multa inaudita operari Christum, per suam amabilem Virginem velle prodigia, vt bestiales innumera in sæculo hominum mentes, quæ prædicantium conuerti despiciunt verbis, saltem inauditis inclinentur ex signis. Quisquis ergo legere, & audire desiderat, cordis, si est, rubiginem tollat, & dum me vera scribere experimento didicerit, credat, sciatq; me non signorum esse *victorem, verum fidelissimum exceptorem, vt pro hoc labore liberari merear à peccatis, precibus & interuentionibus Virginis. *M.S.F. fictorem.

Index capitum libri quarti.

CAPVT PRIMVM.

De quodam claudo.

CLaudus quidã in famosissimo *Fuldonensi Monasterio plurimo tempore commoratus, famam Virginis audire promeruit. Qui ab illo die, quo erectis auribus verba referentis misellus excepit, tanto est amoris incendio inflammatus, vt eius vix queat explicari affectus. Cœpit denique & viam & conuiatores æstuanter inquirere, vt ad Monasterium Monheim mereretur aliquãdo peruenire. Tandem compos voti effectus optati, & viam didicit & commeantes inuenit. Tum animo iam feliciter saliente, gressu tamen obliquo, cunctis notum oratorium

* *M. S. B.* Vuldensi Monasterium à S. Bonifacio ex donationibus Carolomanni & Pipini fratrum Galliæ Regum, illis in partib. exstructum, q iam Buchonia dicuntur. Nũc in Ciuitatem excreuit, Monasterii nihilominus nomé, quod ab amne ibidem piscoso habet, adhuc retinens.

torium adiit, & non claudicante ſpe claudus * corpore, in Eccleſiam introiuit. Vbi dum attentiſſimè Dominum exoraſſet, reflexo in gradu directo curruiſſimo pede, gratiam quam quæſierat, ſtatim ambulandi promeruit.

* *M. S. B. non habet* corpore

CAPVT II.

De alio claudo.

ALius quoque ex villa, quæ dicitur * Tuzinga, nomine Ellmpertus, ſimili pedum debilitate quaſſatus, dum plurimis euolutis temporibus acrius laboraret, viſum eſt ei, vt Virginis Baſilicam adire debuiſſet, eiuſque ibi benigniſſimam clementiam imploraret. Quod & fecit. Arrepto igitur, quo potuit itineris greſſu, voti deſiderabilis effectum, quanta valuit auiditate compleuit. Sed veniens prius ſe in oratione proſtrauit, & reum peccatis pectus pugno tundente corripuit, & veniam fuſis lacrimis poſtulauit: quam & accepit. Nam ſtatim omnis ab eo curuedo receſſit, atque orthometron inſueti tramitis ſumpſit, & gratias Altiſſimo retulit.

* *M. S. B.* Filius

* f Tubinga ciuitas Electori Palatino, pa. Academia quidē celebris, ſed Lutheraniſmo defædata.

CAPVT III.

Item de quodam claudo.

HElemgerus etiam à Franciæ partib. quidam eodem preſſus incommodo, deuotus aduenit, atque in ipſo loco aliquo tempore manſit. Cumque * pendentia de muro claudorum multorum iam de ſua recuperatione gaudentium ſuſtentacula frequenter aſpiceret, de ſua quoque cœpit & ipſe ſalute tractare, atque ſubmiſſo in

* *M. S. B.* Helmgerus

* *M. S. B.* pendentes

vultu pallido, Christum attentius inuocare. Qui dum id sæpius faceret, illam, pro qua precatus fuerat, adeptus est sospitatem. Qui duo hactenus vicem acquisitæ gratiæ rependentes, sese in competenti armentario seruitio manciparunt; vt ibi debitum redderent famulatum, vbi sanitatis consecuti sunt * gradum.

* M. S. gaudium

CAPVT IV.

Item de claudo sanato.

SI de omnibus, qui illic incessu pedum positi sunt, claudis voluero texere orationē, ante deficiet dies, quam signorum euidentia plurimorum. Veruntamen ea, quę ad memoriam veniunt, non æstimo silentio conticenda, quoniam, vt legimus, DEI narranda sunt opera, cuius sunt inexquisita iudicia. Ideoq; quandam fœminam * Mansvvindam, ad mentem reducere festinemus, vt ipsa quoque, qualiter curata sit, enarremus. Ex villa namque quæ dicitur * Truchinga adueniens, & medelam corporis animæque in Monasterio quærens, (erat enim pedum debilitate deformis & inhonesta) diutius ad cœlum orationis voces ę pectore lugubri destinauit, & vt sui omnipotens misereri dignaretur, prolixo precatu flagitauit. Cui mox diuina virtus & miseratio affuit, & gressum, quem perdiderat, integerrimum reparauit.

* M. S. Mansuindam

* Hæc est, quā hodie præposito aquæ nomine Wasser Truchtinga dicitur. Ciuitas olim Decanatus ruralis titulo insignis, nunc vero Lutherana licentia non parum deformis.

CAPVT V.

Similiter de quodam claudo.

IN ipsa villa, in qua * Monasteriū celebre situ est, puer voca-

* M. S. B. Perechkisus

* Monheim intelligit

vocabulo *Beretgisus *erat, in quo viuifica Trinitas ipsum, idemque operari dignata est signum. Fuit enim per tres annos gressuum ambulatione priuatus, ita vt ad nullius fructuosi operis exercitium habilis esse videretur. Quem tollens nimia referta mœstitia genitrix, nuncupamine Ratila, ad basilicam detulit salutarem, ibiq; ante oculos diuinæ maiestatis exposuit, & eius inenarrabilem miserationem cum lacrimis & gemitu postulauit. Videns itaque *de excelso cœlorum habitaculo Dominus mulieris fidem, curauit infantem, & matris precibus fecit ambulantem. Quo audito, Domina vtriusque, infantulum tradidit eidem Ecclesiæ iure perpetuo possidendum, vt ibi quandiu aduiueret, seruitii iura impenderet, vbi vires ad famulandum recipere meruisset.

* M. S. est

* M. S. è celso

Similiter Romanus quidam adueniens, & in porticu aquilonari, cum carruca, in qua delatus fuerat, miserabiliter iacens, sequenti die postera ambulandi meruit facultatem.

CAPVT VI.

De muto & claudo curatis.

ACcidit præterea quodam tempore, vt *Hildegarda Domina pacifici regis *Ludvvici filia, orationis gratiâ cum *famosissimo comite ad iam dictum Monasterium deueniret. Non ergo immemor beneficiorum sacræ Virginis, præsertim cum sciret & crederet multa ibidem *facta esse, & penè quotidie fieri miracula, adduxit in comitatu sequenti *ab ortu originario mutum, vt si dispositione superna gratissimum directi faminis donum mereretur percipere, audita apertius crederet, dum

* M. S. B. Hilrigarda

* M. S. B. Hludouuici

* M. S. B. addit Luitpoldo.

* M. S. operata

* M. S. B. filiū excisissum

dum visa fidem auditis darent. Leupoldus quoque, vt suspicor, non dispari desiderio tactus, commeantem secum detulit claudum.

Vbi dum eadem nocte quiescerent, matutinali veniente synaxi, omnes in Ecclesiam celeriter festinarunt. Cumque DEI famulæ inibi seruientes Dominicos cœpissent concrepare concentus, astantibus etiam his, qui secum detulère prædictos debiles; mutus soluto vinculo plectri, clara cœpit loquelas emittere voce, & mirabilem DEVM in sanctis suis cordis iubilo collaudare. Et non solum ille, verum etiam omnes qui officio matutinali intererant, Omnipotentem DEVM collaudabant. Cernens ergo ille, quia vt desiderauerat, ita rei euentus impleuerat; magno exhilarati cordis repletus tripudio, eleuatis in cœlum manibus, gratias Omnipotenti retulit DEO.

Sequenti denique eiusdem felicis horæ momento, & Leupoldi prætaxati comitis fustifer claudus cœpit exsilire gaudenter, ac Saluatorem suum benedicere congruenter. Idem etiam Comes venerabilis, vt cognouit suum, quem detulerat, claudum exsilientem, & laudantem DEVM, lætitiâ cordis exultans, mirificum benedixit Dominum.

Vt ergo iocunditas gratulantium duorum cumulantius augeretur, duo euidentia & aperta miracula tertium roborauit. Nam quædam cuiusdam clauduli mater, cùm vidisset præeuntia signa duo esse patenter ostensa, & ipsa suum, quem exposuerat lamentabili editu natum, subintulit ad curandum. Sic præcedentibus curatis duobus, postremo astantibus vniuersis sanatus est tertius. His ternis, duo præcipuè desiderantes visis

mira-

miraculis redierunt ad sua, ista narrantes è pluri-mis.

CAPVT VII.

De fœmina Dæmoniaca.

DE prætcritis, quæ hactenus enumerata sunt, ipsa iam ratio finem cogit imponere, vt ad alia, de quibus narrandum est, calamum valeam inclinare. Multiplicia enim multipliciter enumerantur, resque per ordinem constitutæ ex propriis accidentibus discernuntur.

His omissis, redeamus ad eum, qui cœptus est ordinem. Inimicus Diabolus, humano generi semper infestus, quandam mulierculā nomine Metsuindam flebili arreptione peruasit, & varia contritione quassauit. Igitur à Dæmone tota possessa, & à tanto hoste miserabiliter captiuata, cœpit de loco ad locum discurrere vaga atque erronea, dentium stridore terrifica, multiplicium voce sonorum horrenda; ita vt in sui habitus qualitate tot variatim ostenderet species, quot milleformis hostis artium diuersarum frequenter in se hominibus exhibet formas. Cumque sæpius, sæpiusque à partibus Danubii fluminis cursu auido sola ad Monasterium peruolaret, & sanctimonialibus permaximos terrores inferret, verentes, ne serpens ille callidus in ipsâ familiâ, oportunitate acceptâ, aliquid sui operis moliretur; reduci eam ad locum, vnde venerat, magna cum interminatione iusserunt. Paruo interiecto temporis spatio, iterum sola ad idem Monasterium cum pristino terrore cucurrit, metumque omnibus DEI famulabus ingessit. Illæ verò

iterumq́; reduci eam cum celeritate maxima fecerunt, & ne vltra ad eundem accedere conaretur locum, timidè inhibuerunt. Sed nihil profuit. * Nam ſtatim vt reducta exſtitit, ad Monaſterium rediit. Quod tanto tempore fecit, donec liberata ab hoſte Virginis benigniſſimæ prece, optatâ rediit cum ſalute.

* M. S. B. ſed

CAPVT VIII.

De puella cæca.

PAterfamilias quidam ex regione Sueuiâ, Frideloi inſignitus * nomine, cum Otfrida vocabulo coniuge, & filia Reginhilda neceſſitate perductus, Virginis auxilium requiſiuit. Nam prædicta eorundem cariſſima filia, dum quadam die in opere muliebri conſtituta, neſcio quid ex eodem complere voluiſſet, viſus ſubitò priuata eſt dignitate. Cuius prælibati parentes, licet turbido vultu orbam aſpicerent natam, tamen ad Virginis ſemper nominandæ præſidium ſpem habuère firmiſſimam. Credebant enim ſi eandem cæcam ad eius perducerent domum, quod eius, qui de cœlo proſpicit miſeratione continua, cæcitate deſerta, via ei luminis redderetur aperta. Salus ergo ſecuta eſt fidem, dum cæcam filiam, hi qui adduxère parentes ad Virginem, ſtatim * reduxere videntem.

* M. S. addit ex

* M. S. B. creuere

CAPVT IX.

De cæco ſanato.

FErtur, quod ex prouincialibus citra * Renum locatis, quidam peregrinus nomine Adalbertus, à natiuitate cæ-

* M. S. B. Hrenvm.

te cæcus, egenorum aliorum cateruis insertus, victus gratia requirendi, Virginis adierit domum. Erant enim sacræ dies Quadragesimæ, in quibus abundantius & pauperibus pro redemptione animæ victus impenditur, & Ecclesia à fidelibus frequentius visitatur. Vbi dum veniens, erogatas partientium sumeret alimonias, refecto ex cibis exterioribus corpore, cœpit quoque mente tractare, qualiter liberari potuisset à luminum cæcitate. Verùm cùm à multis audisset, Virginem cæcos illuminare, studuit & ipse totis præcordiis ad ipsam pro sua caliginosa cæcitate clamare. Cuius fidem vt Dominus vidit; & Virginis * preces in cœlo pro misero precantis audiuit, & cæco in terris humiliter postulanti misericorditer lucem, quam nunquam aspexerat, ministrauit.

* *M. S. B. non habet* preces

CAPVT X.

De cæco sanato.

QVodam itaque contigit tempore, vt pro admonendis, atque in DEI timore roborandis DEI ancillis, ipsum Monasterium, iuxta morem frequentius consuetum, probus, piusque Pontifex Erchanboldus visitaret, & in eis sanctæ prædicationis creditam mellitis labiis fereret annonam. Cumque adhuc in eadem cellâ consisteret, & pro lucrandis Christo animabus attentius desudaret, quidam à partibus * Franciæ cum agmine Clericorum & pauperum * flamina deuehentium & *Kirie-eleison* voce canorâ canentium, à natiuitate cæcus pauper aduenit, & nisibus quibus potuit, in Basilicam cum conuiatoribus introiuit. At vbi fixis genibus in oratione-

* Franconiam intelligit

* *M. S. R. addit* cũmixto [f] flamina hic vexilla significant.

ne fibram etiam cordis erexit, & pius Dominus suam aurem placidam * propitius inclinauit, fusamque pauperis precem audiuit, lumen quod natura negauerat, suâ mirâ potentiâ condonauit. Quo viso, Præsul & omnes, qui affuêre miraculo, laudes in excelsis reddiderunt Deo.

* M. S. B. protinus

CAPVT XI.

Item de alio cæco.

NOn incongruum videtur, si sequens præcedenti æquiparetur miraculo, cum cæcus ille fuerit, qui, vt diximus, patenter ibi lumen accepit; orbus & iste, de quo series texitur, qui etiã in eadẽ Ecclesia diem videre promeruit. Trãseunte namq; festiuâ solẽnitate Paschali, dum * Albaria sequens aduenirer hebdomada, Adalbertus Comes nominatus, à rure Francorum illustrium, Monasterium petiit. Vbi dum diuinum officium stans in Basilica cum suis audiret, incognitus quidam affuit cæcus, & inter cæteros stetit adductus. Nec mora, facta ad Devm prece humilima, lux eius noctem fugauit ab oculis, cernentibus & mirantibus, qui aderant vniuersis. Cumque talem in se agnouisset virtutem, Creatori reparatorique suo retulit laudem. Rediensque sanus & incolumis ad patriam, illud quod in se diuina peregit dignatio, vbicumque potuit diuulgauit.

* Hebdomada in Albis.

CAPVT XII.

De fastidiosa fœmina.

DVo, fauente miseratione supernâ, in fine huius libelli

libelli narraturus sum à seculis inaudita miracula, & rudibus mentibus valde difficilia: Verùm creatori ex creaturâ quicquid vult facere creditur esse facillimum, ideoque quod refero nulli videatur ambiguum, quia antequam scriberem, satis habui expertum. Villam dicunt incolæ in pago Sualaueldico * Drutelingam, in qua quædam mulier, nomine Friderada, dum familiarius cæteris, in obsequio Domini * Ediriammi suæque Dominæ vxoris eiusdem, diu noctuque seruiret, adueniente insperata iniuriæ pœnalis angustia, graui cœpit corporis infirmari molestia. In qua dum penè annorum duorum * circulo * miserabiliter laborasset, miseratione tacta sidereâ, modici est leuaminis dono potita. Vbi ergo virium paulatim sibi sensit adesse vigorem, tanta etiam in ipsa creuit ingluuies, vt augescente quotidie * auidissimè desiderio gulæ, vix à quoquam cibi edulio, potúsue apposito haustu, valeret impleri. Cui dum plurima parentes sanguinis vnitate iugati quotidie ministrassent, illaque maiora semper inquireret, deficientibus iam penè impensis, quid de ea facerent, sollicitè tractare cœperunt. Nondum enim pedum officium meruerat obtinere: verùm cum tripediis sicubi * potuerat, flebiliter se trahebat, viresque in viridi adhuc corpore semper amisisse lugebat.

* Dreuchtlingen nono castro insigne oppidum S. Rom. Imper. Marescalcorũ à Pappenheim, non procul ab ipso oppido Papenheim iuxta Almonium.
* Ederammi M. S. B.
* M. S. B. curriculo
* M. S. addit misera.
* M. S. B. auidissimo.
* M. S. B. poterat.

Inerat ei permaximus ex gulæ intemperantia, vt ipsa mihi retulit, pudor; dolebat ineffabiliter, quia ei lacrimosus curuedinem intulit languor: Meditabatur, quanta * sua in Dominorum, dum adhuc viguit, exstiterit famulatu deuotio, quantaque tunc eam premeret carnis peccatricis inopinata contritio. Tum cum affinibus ipsa consilio felicissimo sumpto, eiulanti pectore, & sin-

* M. S. B. sui.

& ſingultuoſa voce Dominam petiit, vt ad Oratorium ſacræ Virginis peruehi mereretur. Quò cùm veniſſet, & duobus diebus poſita in oratione conſiſteret, lucem cunctis tertio miniſtrante, greſſuum debilium adepta eſt ſanitatem. Hoc patrato miraculo, ſtatim eiuſdem famulæ nuntiatum eſt Domino. Ex quo gauiſus, cum coniuge ſibi vnita, nec non familia vniuerſa directo ad Monaſterium calle, vbi ſanata fuerat famula, venerunt, & rei geſtæ veritatem, ſicut auditu didicerant, inuenerunt. Qui mox pro munere donarii * congruentis, eandem ſui iuris & dominationis ancillam, in qua ſignum oſtenſum fuerat, altario * tradere voluerunt, vt ibi iugiter deſeruiret inter alias inibi famulantes. * Verùm hoc * Luibilla renuit, & in eodem loco aliquandiu manere præcipiens, poſt paucos dies Dominis ſanam & incolumem retranſmiſit.

* M. S. B. congruentes.
* M. S. B. geſtientes.
* in M. S. deeſt verum hoc.
* Liubila.

Sed ſtatim vt rediit, languorem incurrit. Videns autem præfatus mulierculæ Dominus haud ſanum fuiſſe conſilium, * quod à Monaſterio quoquo modo foret abſtracta, præſertim cùm liquidò * videret, quoniam eſſet iterum diuinitus viſitata, conſultius fore diiudicans, vt eam patenter Virginis dominio ex ſuo iure contraderet, rurſum cum prompta animi voluntate deductam ad Cœnobium famulam languore corporis ſtimulatam, à ſuo in perpetuum ſeruitio fecit immunem, & traditione peracta firmiſſima Virgini reddidit ſeruientem. Quod dum fecit, ſtatim conualuit. Vbi ergo ſe * vidit valentem, de ſoſpitate acquiſita cœpit eſſe lætiſſima. Verùm gulæ appetitu * permaximo ſæpius tacta, creuit etiam in ea immoderata cum pudore triſtitia.

* M. S. B. quia.
* M. S. B. contemplaretur.
* M. S. B. creuit.
* M. S. non habet permaximo.

Viſum

Visum est ei denique, vt suæ confusionis enormitas alicui ex sanctimonialibus medicinali confessione secretius panderetur; * quatinus, diuina operante virtute ab eadem erui mereretur. Cumque oportuni temporis congruentia speculata * Deithildam eiusdem procuratricem Ecclesiæ in remotioribus positam contemplaretur, verecundiam * balbutientibus labiis professa est suam, & vt sui misereretur orationis sanctæ iuuamine, & consilii rationabilis firmitate, toto mentis est * deprecata conamine. At illa, vt moris est timentium Dominum, dum flebilem confessionem audisset, euentum suæ miseriæ sollicitè confitentis, flexibili ei compassa est animo, cœpitque prius, oratione peracta, diligenter inquirere, quo ei valeret mederi consilio. * Tunc venit in mentem, vt ei panis benedicti portio * conferretur, & sic ei appetitus mali desiderii tolleretur. Accito deniq; Himondo venerabili, vt vultus indicat, proboque presbytero, * petit, vt panis allatus mox benediceretur ab eo. Qui illico, vt mos est benedicentium, benedixit, & de ipso ad percipiendum fœminæ tradidit. Vt ergo ex eo gustauit, * esuries ita se subducere cœpit, vt * miro modo, sicuti prius de die in diem cumulata excreuerat, ita * tabesceret. Sic pro esurie, crescente fastidio, ad vltimum * nihil aliud, nisi caseum, aut lac * edere potuit, & quoties vt biberet aliquid sitis extorsit, pro potu communi lac solummodo sumpsit. Et hoc, * anno ferè dimidio. Postea verò, si quando hæc eadem Dei dona gustatura suscepit, statim expuit. Cumque sæpius, sæpiusq; eundem cibũ potumq; perciperet, & quoties sumeret, toties inclinata reiiceret; cernens laborem spuendi vlterius tolerare non posse; petiit cum demissa satis hu-

* M. S. B. non habet seqq.
* M. S. B. Diethildam.
* M. S. B. palpitantibus.
* M. S. B. precata.
* M. S. B. Tum
* M. S. B. ferretur.
* M. S. B. petiit.
* M. S. B. paulatim esuriens.
* in M. S. B. deest, miro modo.
* M. S. B. addit ita postmodũ quasi virib. fractis, infirmata tabesceret.
* M. S. B. nil.
* M. S. B. bibere.
* M. S. B. anni.

tis humilitate, à ſupra iam nominata DEI famula Diethilda, vt nihil ei ſtipendii victualis impenderet; quippe cùm omne quod impenderat, perdidiſſet. Tum DEI famula * vt verba ſuadentis, imo precantis audiuit, licet nolens & inuita, * conſenſit. Tamen ſatis mirari cœpit, qualiter corpus viuentis, niſi ægritudinis moleſtia prægrauante, ſine victualibus à mundi origine inſtitutis, poſſit * ſubſiſtere. Creuit ergo cum admiratione inexperta à ſeculis virtus, quam miſericors & miſerator operatus eſt Dominus.

* in M. S. B. deeſt vt, & habet verba precãtis imo ſuadentis.

* M. S. B. aſſenſit.

* M. S. B. viuere.

Igitur prædicta DEI ancilla, quid de ea ageret proculdubio æſtuante, ad eam tandem, quæ in ipſo vico, prope Monaſterium Virginis è regione montis ſita eſt, Eccleſiam deſtinauit, & cuidam ex conſororibus ſuis, quæ ibi procurandi gratia fuerat conſtituta, ſumma cum diligentia commendauit. Illa non ignorans, vnde res ageretur, ſuſcepit, & cum omni diligentia cuſtodiuit, ſexq; hebdomadibus ferè ſecum * tenuit, in quibus nec aliud manducauit, nec quicquam potus corporei ſumpſit. Illis expletis, Deithildis ieiunam viſitatura ad Baſilicam venit. De cuius ſtatu & conuerſatione dum attentius inquiſiſſet, audiuit ſicut prius audierat, ab omni cibo, potuq; eam bis terna Sabbata ieiunaſſe. Tum illa, vt ſolitum eſt mulieribus, multis lepidisq; quempiam mulcere blanditiis, vt ſuis valeāt inclinare ſermonibus, cœpit eam lenibus aggredi hortamentis, ita inquiens: Miſerere, ô miſera, * tuo iam pene exanimi, & quaſi iam inferni ianuas penetranti corpori: miſerere animæ pereūti. Quis enim viuens, ſi victus priuetur ſolaciis, nō ſtatim priuabitur vita? Quis mortuus, dum viuente adhuc in corpore conſiſtit, non tali iuuamine vixit? Noli, ait,

* M. S. B. continuit.

* M. S. B. tui iam pene exanimi corporis, miſerere animæ pereunti, & quaſi iam inferni ianuas penetranti.

ait, noli, cariſſima filia, huiuſmodi te obſtinatione ſeducere, quin potius ad mentem feſtina redire & aliquid cibi, potuſue tibimetipſi conſulens percipe. Quis ſane de te huiuſmodi famam agnoſcens, aliud, niſi ridiculum & deliramentum eſſe fateatur, cùm verè nullum viuere, niſi victualibus corporeis poſſe teſtetur?

Age ergo, audi vocem fideliter ſuadentis, Dei Virginis famulæ, & guſtans paululum de * commnnibus cibi edulijs, potuſq; liquore, vires reſume, vt nobiſcum pariter viuere poſſis in pace; Pallor enim oſtendit, in cute, quod te compendiū citò rapturum ſit mortis acerbæ. Si verò aliqua inimici falleris fraude, fatere filia, fatere, & noli erubeſcere. Credo pro certo ſi feceris, quia ſtatim Chriſti virtute, ſanctæq; Virginis prece erueris. Non eſt, fateor, dignum, vt tale aliquid ad aures perueniat mentium reprobarum, quæ ſemper Chriſti virtutibus obire conantur, & de earum vaniſſima falſitate vitam peruertere veritatem; ne dum huiuſmodi ineptiam audierint fabulam, operatrici virtutum incipiant derogare, noſque eius deuotas ancillas falſiloquas, gannienti ore clamare: ſicq; fiat, vt plura, quæ acta ſunt & aguntur in iſto felici loco miracula, ex vno inaudito, & idcirco incredibili tegantur prodigio.

* M. S. E. communis cibi edulio.

His auditis * ancillula * corde compuncta volebat quidem aliquid guſtare, nec poterat, quia eam, vt credo, diuina ſagina paſcebat. Sed ne hortantis Dei famulæ blanda & ſuaſoria contemneret verba, ex deteriori, quam nominant, ſicera; deterior enim eſt, quia poſterior, pocula ab ea ſibi petiit propinari. Ex qua dum impreſſis vaſculo labiis modicum ebibiſſet, per tenues ſtatim oculos, * nec non per odoriferas nares erupit, ita

* M. S. E. ancilla.

* Satis adhuc ieiuna.

* M. S. nec ne.

vt mox visum amitteret, quo lucem cernere consueuerat temporalem. Tum iterum ab eadem, in qua tunc morabatur Basilica, ad Virginis perlata est oratorium, prius in iam dicta Ecclesia duobus dimissa diebus. Veniens igitur cæca, ibiq; iuxta morem pristinum ieiuna consistens, paruo interiecto temporis emolumento visitata clementer à Domino, visus adempti meruit recipere sanitatem.

Perstitit tamen in ipsa, in qua dudum perstiterat cunctis abstinentia mira. Cumq; mater familias Lubila, cæteræq; secum commorantes Dei ancillæ de huiusmodi re oppido mirarentur, accepto tandem sano consilio, *Pontificem venerandum, ad cuius dominium & Diœcesim idem pertinet Monasterium, adierunt, remq; per ordinem, *qualiter ab initio gesta fuerat, narrauerunt, vt tale signum, si tamen probabile & efficax videretur, eius roboraretur iudicio, cuius deceret aut asseri, aut negari elogio. Ille verò, vt audiuit, obstupuit; non tamen liquidò credidit. Verebatur sanè, nè aliqua milleformis astucia deceptoris, fraudata visus hominum falleret, & in remotioribus posita, victum communem perciperet. Timebat *è contra, ne *si signum admirabile, ratione veritatis dictante, non crederet, delicti *culpam incurreret. Quocirca cum suis prudens consilium sumpsit, & Meginperto, qui eidē altari deseruit presbytero, Pontificali auctoritate iterum, iterumq; mandauit, vt eam, de qua loquimur famulam *in suam custodiam sumeret, & sex plenas hebdomadas, cum summa *industria conseruaret, vt si intuitus humanos astutia Diaboli falleret, diligentius obseruaret. *Quod prædictus presbyter & diligentissimè obseruauit, & requirenti Episcopo fide-

* M. B. addit cito.
* M. S. B. vt
* in M. S. B. deest, deceptoris.
* M. S. B. non habet ecōtra.
* M. S. B. non habet si.
* M. S. B. culpas.
* M. S. B. in sua custodia
* M. S. B. addit diligentia &
* M. S. B. Quod & fecit, & vt prius narratum fuerat, ita & non aliter se inuenisset narrauit.

fidelissimè renunciauit. Tunc Episcopus omni dubitatione detersa, quasi * compulsus credidit, & vt crederetur à cunctis sua auctoritate firmauit. *M.S.B. addit iam.

Sic denique adhuc ieiuna consistit tertio à solemnitate Confessoris Christi Martini vergente anni circulo, vsque ad diem hanc. Operatur tamen iuxta modulum facultatis, quicquid ei fuerit commendatum. Cœlestis verò Eucharistiam doni * quotiens sumpserit, nisi omni cum festinatione dormitum ierit, * vomibunda consistit; atque hoc vno, vt testatur, remedio conualescit. Mirum in modum, * vt corpus humanum ieiunia non abhorreat, & tamen viuens super terram, gradiensque permaneat. Sed omne quod hic videtur impossibile, omnipotenti Christo creditur esse possibile. Qui cum esset DEVS, & imago Patris, pro hominibus factus homo, contra naturam essentialis Deitatis, corpus quod assumpserat, voluit esse passibile, ideoq; ipse qui est, concedit esse * quod est; quia in eo consistit quod est.

* M. S. B. nō habet quotiens.
* M. S. B. addit statim.
* M. S. B. habet vt vitam corpus ieiunū abhorreat, viuensque, &c.
* M. S. B. addit omne.

Finitus est libellus miraculorum sanctæ VVALPVRGIS Virginis feliciter. Amen.

IN MANV-SCRIPTO SEQVEBANTVR HÆC LEONINA CARMINA, QVÆ ETIAM ADIVNGERE PLAcuit, vt videat LECTOR, non modò à WOLFFHARDO, solutâ, sed ab aliis etiam ligatâ oratione scriptam S. WALPVRGIS vitam.

WALPVRGÆ sacræ tot signis glorificatæ,
Prosaice scriptam rithmo libet edere vitam,
Virginis eximiæ placeat laudes iterasse
Quas iterat signis Rex regum quottidianis.
Filia Regis erat, sed egenam se faciebat,
Diues vt in Christo regnaret semper in ipso
Quam sit cara DEO, monstrant miracula crebro,
Quæ meritis eius confert de Virgine natus.
Prosam pertæsos, cantatio mulceat ipsos;
Prosam VVolfhardus, ritmum fecit Mediuvardus
Æternæ vitæ det præmia Christus vtrique
Virginis oratu pro deuoto famulatu.

NOTA-

NOTATIONES IN VITAM S. VVALPVRGÆ.

NOTATIO I.

QVINAM S. WALPVRGÆ vitam scripserint.

Centuriatores Magdeburgici, Centuria IIX. & Epitome Bibliotheca Gesneriana, & Baleus, Centuria secunda Scriptorum Britanniæ, aiunt ipsum S. VVillibaldum, primum Episcopum Eystettensem, vitam & res gestas VValpurgæ sororis suæ literis commendasse. Quæ lucubratio, si vnquam extitit, iam aut longinquo æuo victa interiit, aut adhuc in angulo quopiam cum situ & squalore decertans, delitescit. Non prodiisse aliquando in publicum, nunquam vel ego audiui, vel ab aliis auditum esse accepi, licet de ea frequenter & solicitè inuestigarim.

Igitur ad alium Scriptorem vitæ VValpurginæ veniamus oportet. Is est Philippus Episcopus Eystadianus, numero & ordine trigesimus nonus, de quo Bruschius in Catalogo Episcoporum Germaniæ: Philippus nobilis Regulus à Rodtsamshausen, Alsata, Doctor sacrarum Scripturarum, & Abbas Parisiensis, Cistertiensium ordinis Cœnobii, missus vnà cum Ioanne Episcopo Aichstadiano ab Imperatore Alberto Austrio Romam, ibi à Pontifice Clemente V. ad prandium inuitatus, Aicstadiano Episcopatui præfi-

citur, &c. Præfuit laudabiliter annis sexdecim, mensibus duobus: Decessit ex hac vita 25. Feb. Anno 1322.

Hic igitur Philippus petente Ser.ma Hungariæ Regina Anna, Ser.mi Alberti Rom. Regis filia, vitam S. Walpurgis *prolixo Commentario complexus est, quem Tomo IV. Antiquæ Lectionis primus euulgauit* D. HENRICVS CANISIVS, *olim dum viueret, in Academiâ nostrâ SS. Canonum Professor, & arctæ amicitiæ vinculo mihi obstrictus. Huius historiæ Philippicæ quasi Epitome quædam est vita* S. Walpurgis, *quam hîc publicamus, confecta ab Anonymo Epitomatore, iussu & auctoritate Sanctimonialium* D. Walpurgis, *vt planum fit ex Præfatiuncula, quam huic historiæ præfixerunt; vbi & caussas reddunt, cur hanc de rebus gestis* S. Walpurgis *narrationem colligendam curarint, & quidem sermone tam Latino, quàm Germanico: nam quicquid in Codice Latino exstat, id etiam reperitur Germanicè in alio. Ob linguæ enim Latinæ ignaros, historiam in vernaculam linguam transtulerunt: Quæ translatio exstat quoque apud R.mum in Christo Patrem ac Dominum,* D. GEORGIVM, *Episcopum Philadelphiæ, & Proëpiscopum Eystettensem. Quòd verò Sanctimoniales de* Arte impressoria *dicunt, satis indicant, hanc vitam ea mente ex Philippo excerptam fuisse, vt in publicum emitteretur. Idnum aliquando factum sit, nescio; factum non fuisse, argumento est, quia Editio typis descripta nusquam comparet. Quod ergo pridem factum oportuit, id nos nunc bono Lectoris facimus, desumpto ex eodem* Walpurgino *exemplari apographo, inq; lucem dato.*

Multis annis, imò sæculis ante Philippum, VVolfhardus Monachus Monasterii Hasenrietani in quodiam (Collegiatã Ecclesiam regnante Arnulfo Imperat. commutatum, à Canonicis vulgò Herrn: Herrnieden *dicitur) quatuor libris vitã* S. Walpurgis, *præsertim miracula post mortẽ in Monasterio S. Saluato-*

ris Monheimensis patrata, explicauit, rogatu Erchanbaldi, seu Erchenboldi, qui ex Episcopis Eystettensibus fuit octauus, sedem hanc, si Bruschio credendum est, Anno Christi DCCC. LXXXIV. adeptus, cui 18. annis prudentissimè & vtilissimè præfuit, obiit q. 13. Octobr. Anno 993.

Duos ferè ex prædictis quatuor VVolffhardi libris, edidit Tomo IV. parte 2. Clarissimus Canisius; sed non integrè, vt fatebitur, quisquis nostram editionem cum Canisiana contulerit. Cùm autem VVolffhardus Præfationem ad Erchenbaldum Episcopum suæ lucubrationi præposuerit, & nonnulla etiam de natalibus, rebus gestis, obitu, & translatione S. Walpurgis *scripserit, prout cuilibet videndi potestas est cit. Tomo IV. Antiquæ lectionis; ea omnia Sanctimoniales amputarunt, exorsæ à miraculo, quod contigit, cùm pars Reliquiarum* S. Walpurgis, *rogatu Liubilæ, seu Liobæ Abbatissæ, ad Monasterium* Monheim *S. Saluatori sacrum deferretur; cuius miraculi prima verba sunt apud Canisium p. 615.* Interea dum tanta optati muneris patrocinia, &c.

Titulus est iste: Sequitur nunc liber Miraculorum *S. VValpurgæ* Virginis, qui subdiuiditur in quatuor libros partiales, cum eorum titulis & Capitulis, prout habetur in antiquissimo libro in principio. *Sed quatuor isti libri nihil aliud sunt, quàm monumenta VVolffhardi Hasenrietani, vt manifestum quoque euadit ex indolatis versibus, qui ad calcem historiæ sunt additi: vbi VVolffhardus solutæ; Mediuuardus ligatæ orationis auctor fertur. Quo ostenditur, libellos istos de miraculis S.* Walpurgæ, *etiam versu redditos esse; tametsi, vt ea sæcula ferebant, rudi & impolito. Præter Codicem* Walpurginum *aliud exemplar calamo exaratum in membrana superuenit, in quo pleraque VVolffhardi erant. Quod exemplar allatum est huc ex vetusto & celebri superioris Bauariæ Monasterio*

sterio Benedictopurano Alpibus vicino; operâ Clarissimi viri Domini Christophori Gevvoldi, *I. V. D. & Consiliarii Bauarici, & signamus ad marginem literis, M. S. B.*

NOTATIO II.

DE ETYMOLOGIA NOMINIS WALPVRGÆ.

V*Arie scribitur hoc nomen, ut fieri solet in iis, quæ Barbaræ, hoc est, nec Græcæ, nec Latinæ nationes olim vsurpabant. Hinc legas* Walpurga, *&* Walpurgis, Walcpurga, Waldpurga, *vel mutato p in b.* Walcburgis, Walcburga. *Auentinus etiam* Waldopyrga, *& si quæ sunt aliæ variationes non tantùm in priore parte vocabuli, sed etiam in posteriore* Burgos, *quod à Græco πύργος deriuari, nemo diffitetur. Hinc olim apud Germanos fœminarum nomina à* pyrgos, *seu* purgos *composita.* Vuillburc, Vuilpurg, Vuilliburg, Vuilleburg, Vuilbruch, Villiburch, Villibruhc, Vuillburc. Vuillibirch, Vuillebirch, Vuillipiric, Villibric, Vuillebrich; *Et apud Auentinum in Nomenclaturâ:* Segipyrga, Seopyrga, Litopyrga, Reginopyrga, *qui hanc postremam dicit fuisse Vxorem Theodonis primi Boiorum Ducis, à qua* Reginoburgium, *Vrbs, quæ nunc vulgo Ratisbona.*

Sed ut ad Walpurgam *nostram reuertamur, nominis etymon ingeniosè, ut solet, sed nescio quàm verè, tradit Goropius Becanus, in Aduaticis suis libro I. Vult enim vocabulum conflatum esse ex Germanico vocabulo* Walt *seu* Guualt, *quod est vis, &* pyrgos, *seu* burgos, *quod est* arx, *seu* acropolis, *seu* polis; *ita ut* Walpurgis *nihil aliud sit, quàm Vrbium & arcium conseruandarum potentia & facultas: Nam Antuerpiæ Ethnicâ superstitione adhuc detentis, fuisse numen* Walpurgis *nomine* indi-

indigetatum, & in ipsâ arce Antvverporum dedicatum; neque aliud fuisse, quàm quod Græcis est Pallas; *Latinis* Minerua. *Et post multa facundè magis, quàm solidè disputata, adiungit Goropius.* Ex his clarum euadit, quàm concinnum nomen apud maiores nostros sit sortita, (*Minerua, siue Pallas*) dum Walburg eam vocarunt. Burg enim idem est, quod antiquis Græcis polis, siue posterioribus Acropolis; sed apud nos euidentior est ratio appellationis. Nam Burg / siue Borg vocatur à fine proprio vrbium & arcium, quæ omnes eo fieri debent, quò ciues in iis seruentur & custodiantur. Est enim Bergen seruare, custodire, tueri à periculo. Walt verò omnem vim maiorem designat: quæ vocula in compositione Tau suum finale, more nostræ linguæ, deponit. Qui verò hanc Deam colebant, nihil aliud significare videbantur, quàm illud, quòd in Psalmis legimus: Nisi Deus custodierit ciuitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eam. Et illud quidem in primis parentibus rectè fieri poterat, hac tamen interpretatione, vt nihil aliud esset Walburgis, quàm vis diuina arces & oppida custodiens atque seruans: quæ quid aliud est in ipso Deo, quàm immensa eius potestas ad aliquod particulare munus inuocata?

Quocirca cùm Antuerpi Christianismum suscepissent, nec facile esset penitus falsi numinis vel nomen, vel honorem obliterare, sanissimo consilio huic malo Pontifices succurrerunt. Nam cùm scirent viros sanctos & sanctas mulieres, non solùm in vitâ, sed etiam post mortem honorandos esse; atque tanto magis post mortem, quòd tum nullis perturbationibus animorum, quibus à bono abripi possent, sint obnoxii; prudenter profectò nomen falsæ Deæ in nomen sanctæ Virginis transtule-

runt: Vt quemadmodum ante malè & perperam Walburgim lapideam orabant & honorabant; ita post rectè, & citra religionis veræ noxam, Walburgim Virginem Christianam in templo venerarentur. Dicere enim illis poterant Christiani Doctores, sese nolle Walburgis diuinos honores tollere, sed velle docere, non eam esse veram Walburgim, cuius ductu & auspiciis arcem suam, & totam ciuitatem seruare possint, quòd sibi falsò de Cacodæmone, & de statuâ persuaserant. Nouam hanc Walburgim, virginē fuisse, vti suā quoq; Walpurgim virginē; perinde ac Græci Palladem putabant, atq; omne præsidium suum aduersus hostes, tum internos, tum externos, in DEO collocasse, atq; ita arcem mentis suæ tutā contra omnes insultus, contra omnes arietes, contra omnes denique machinas maiores seruasse. Hanc imitarentur, illud numen, quo illa se tutam reddidit, adorarent, atque ab eo sibi tutelam arcis peterent. Illam enim diuinam gratiā, veram esse Walpurgim cœlestem, qua Walburgis Virgo arcem mentis & corporis sui seruauit illibatam. In hac igitur sanctâ Virgine cœlestem illam gratiam colerent, & venerarentur, & orarent, vt ea non oppidum tantùm, sed mentes etiam custodiret. Hanc enim eandem esse, quam prisci illi Cimmerii Walburgim nominârunt; sed fraude Cacodæmonis, hominum animos à verâ illâ diuinitate, ad falsam superstitionem detractos fuisse, & pro fortitudine & sapientiâ diuinâ, statuam, & sub ea immundum spiritum adorasse, quæ non solùm alios non seruare, sed ne se quidem mouere posset. Ad veram igitur arcium custodiam, & veram Walburgim redirent, illâ Virgine duce, quæ & nomine Walburgis esset, ac custodiam hanc arcium diuinam à DEO impetrasset. Hac vel simili ratione, reiecto idolo,

idolo, templum Walburgi Virgini est consecratum. Fuit autem hæc Walburgis, vt scribunt, natione AngloSaxona, & vt quibusdam visum est, Richardi Regis filia; Willibaldi, & Winibaldi omnium confessione soror germana, æqualium Willibrordi, tempore sancti Bonifacii Archiepiscopi Maguntini, qui dicitur eorum fuisse auunculus, &c. *Hæc scitè Goropius: Sed non ideo verè. Neque enim video, quomodo probet priscis Antuerpiensibus fuisse idolum nomine VValpurgis, quod postea eiectum, meliori VValpurgæ locum dare debuerit. Nec apparet alia probatio, quàm quod in* Arce, *seu* Burgo *Antuerpiensi, ad Scaldam flumen, temporibus Christianis fuerit, atque adeò etiamnum sit Templum D. VValpurgæ Virgini Anglicanæ consecratum. Ex quo non sequitur, fuisse ibidem antea cultam aliam VValpurgam, vel idololatricam, vel quæ nihil aliud fuerit, quàm* vis *&* potestas *tuendi vrbes & arces.*

His ergo tam canoris commentis valere iussis, existimamus nomen hoc ex voculâ Wald / syluam *significante, & ex vocabulo* pyrgus, *seu* Burgus, *Germanis* Burg *contextum esse; ita vt* Waldpurga, *seu omisso d, vel t.* Walpurga, *nihil aliud sit, quàm* syluæ Burgus, *seu* pyrgus: *Vnde &* Waldpurgum, *seu* Waldburgum *in Sueuia arx, nobilissima Dapiferorum Imper. à Truchses familia stirps, & vt Germani vocant,* Stammenhauß. *Nec mirari quis debet, tale nomen Virgini nostræ impositum, cum genus ex Germaniâ, hoc est, ex Saxoniâ duxerit, olimq́; mulieribus, vt & viris in Germaniâ, vix à Cœlitibus nomina fuerint indita, vt videre est in Catalogo nominum muliebrium veteris Alemanniæ, quem Tomo suo secundo rerum Alamannicarum intexuit Caluinista Goldastus.*

Si quis tamen VValpurgæ nomen à Germanico Walten *deducere volet, cum hoc non litigabimus. Est autem* walten / *&*

compositum verwalten/ curare; *&* Verwalter curator. *Hinc etiam propriū illud nomen* Walther / Waltherus, *& præpositâ literâ G.* Gualtherus. *Hinc etiam illud Germanorum:* Ich laß Gott walten. Curam huius rei commendo DEO. *Communis etiam vox est aliquid auspicantium:* Daß walt Gott. Hoc DEVS gubernet, *seu;* DEVS bene vertat. *Si cui igitur hæc notio & originatio arriserit; VValpurga, seu VValpurgis nihil aliud, quàm* curatrix pyrgi, *seu* Burgi *erit: Quæ notio nostris Leodiensibus arrisisse videtur, cum amplissimæ suæ Ciuitatis portam in editissimo loco sitam, VValpurgis nomine insignem esse voluerunt. In eo siquidem nihil aliud spectârunt Viri prudentissimi, quàm summam suæ ciuitatis pacem & securitatem; pro certo videlicet sibi persuadentes, eam ab omni hostium incursione & periculo liberam futuram, si Diua Virgo* Walpurga, *ex alto pericula præuidens,* curatricem *se, iuxta nomen suum exhiberet* Ciuitatis, *quæ pyrgos, siue burgum dicitur; voce Germanis prope, quàm Græcis vsitatiore. Ab illâ enim habent illi simplex illud* Burg / *& mille composita Neoburgum, Altenburgum, Hohenburgum, Magdeburgum, VVeissenburgum; Et ipsi Vrbium ciues* Burger/ *non aliunde, quàm à* Burgo; *&* Burgermeister *is, qui* Burgianis; *seu ciuibus præest. Nec dubito* Berg *&* Birg/ (in dem Gebirg) *ab hac itidem origine descendere.*

A vocabulo Wald / *quòd est* Sylua, *multa habent Germani nomina propria, vt* Waldo, *seu* Walto, Waldrad, Waldram, Waldrich, Waldman, Waldhart, Waldfrid, *& similia.*

NOTATIO III.

DE FAMILIA ET NATALIBVS S. WALPVRGIS.

I*N confesso est, patrem eius fuisse Richardum, matrem Bonam,* *seu*

seu VVunnam, fratres VVillibaldum & VVunibaldum. Sed quis & qualis iste Richardus fuerit, non ita constat. Sunt qui ducem Sueuiæ creent; Sunt qui Regem Sueuiæ pronuncient. Omnes vno fermè ore Regem Angliæ faciunt. Id habet communis hactenus persuasio, & existimatio; Id vulgaris omnium sensus: Idem veterum monumenta affirmant, & quod plurimum ponderis habet, in Romano Martyrologio, VII. Februarii, qui dies S. Richardo sacer est, vocatur Richardus Rex Anglorum.

Verumenimuero, Regnum, cui Richardus præfuerit, & quod amore diuinarum rerum dimiserit, difficile est inuenire, vel monstrare in Anglia. Cùm enim VVilhelmus Malmesburiensis, Matthæus VVestmonasteriensis, Henricus Huntindoniensis, Florentius VVigorniensis, Ethelvverdus, & alii, & ante istos omnes venerabilis Beda, Reges Angliæ per varia Regna diuisos accuratissimè percensuerint, & quis cuique successerit, & quis quemque debellârit, pensiculatè enumerarint, nullus tamen alicubi comparet Richardus, nulla Richardi mentio occurrit. Quæro enim, cui in aliquo Regno Angliæ successerit: Dico in aliquo; *quia Anglia tunc in plura Regna diuidebatur. Aliqui dicere videntur; successisse Lothario Regi Cantuariorum; quem etiam Richardi patrem fuisse aiunt; qui in pugna contra Australes Saxones occubuit. Sed hoc rectè non dicitur. Nam Lothario successit Eadricus, sesquiannum Cantiorum sceptris potitus. Hunc exceperunt Nidred & VVibbehart; Istos VVithred, & hunc alii, vt constat cùm aliunde, tum ex libro IV. Historiarum Huntindoniensis. Aliqui insinuare videntur eum successisse Offæ, seu Offoni Regi, cuius soror fuerit Bonna, siue VVunna, vxor Richardi, quemadmodũ etiam in principio Historiæ huius ponitur. Cæterùm neque hoc consistere potest. Aut enim loquuntur de celebri illo, & cunctis Britanniæ Regibus formidoloso Offa, qui Regnum Merciorum 39. annis fortiter & feliciter*

tenuit; Aut de Offa Rege Orientalium Saxonum, qui salutis curâ seriò tactus, deserto Regno, Romam concessit. At neutrum horum cum aliquo verisimilitudinis colore asseri potest. Nam Offæ Merciorum Regi successit in Imperio Egferdus filius eius: Post cuius vix annuam Regni administrationem sceptra capescinit Cenvvulff, eaq́; 26 annis pacificè rexit, vt auctor est iam antea citatus Huntindoniensis. Nec ab altero Offa, seu Offone aliquid probabilitatis huic persuasioni conciliari potest. Iste enim in Regno Orientalium Saxonum successorem reliquit Selredum, Segeberti Boni filium, qui 38. annis huic Regno præfuit; vt planũ fit ex Floribus Matthæi VVestmonasteriẽsis, Anno Dom. 710. &c.

Quid ergo dicendum, quid statuendum erit? Equidem quæ hactenus de sancti Richardi origine disputata sunt, non eo consilio sunt disputata, vt aliquid de gloriâ eiusdem sancti, & sanctissimorum liberorum decerperem; absit hoc à me, absit quàm longissimè: aliud enim à me, iure gratitudinis exigit S S. illa familia. Sed vt veritas longinqui æui tenebris obscurata nonnihil iterum emergeret, & caput in auras efferret.

Ex Regio Anglorum seu AngloSaxonum sanguine & stemmate progeneratum fuisse sanctum Richardum, nemo sani capitis abnuerit. Quæ fortè caussa fuit, cur Rex Angliæ appellatus sit. Quo pacto superioribus sæculis, Costus S. Catharinæ Virginis & Martyris pater, Rex passim audiit; quia ex Regia stirpe cretus erat. Nam regnum, cuius habenas Costus iste moderatus fuerit, si quæras; nullibi tandem inuenies. Habet & hoc hodie vsus, vt qui principali aliqua familia genitus est, titulum eius gerat: licet non ipse, sed alius administrationem Prouinciarum teneat. Sic Duces Bauariæ, Saxoniæ, Palatini Rheni, & sunt, & vocantur non pauci, licet non penes ipsos, sed penes alios sit gubernatio Bauariæ, Saxoniæ, Palatii Rheni, &c. Et ante aliquot annos filia Inuictissimi Imperatoris FERDINANDI, *quæ Ha-*

la ad

la ad Oenum in Comitatu Tirolensi degebant, Reginæ *appellabantur, ob Regem patrem, & Reginam matrem; licet ipsa nec matrimonio, (vtpote semper cælibes) nec imperio Regina essent vel fuissent.*

Simile quid etiam hic accidisse, credibile est; ita vt Richardus Rex Anglorum nominatus sit ob Regium genus; non ob regnum, cui iura dederit; sicuti multi vocantur Duces Bauariæ, Saxoniæ, &c. non quod has ditiones sua sub potestate teneant; sed quia ex istorum Ducum stirpe descendunt.

Porro Richardum non fuisse Sueuum, aut Dynastæ Sueuici filium, sed Saxonem, seu AngloSaxonem, vnum ex his, quorum Maiores in Britannia sedes locauerant, clarum fit ex VVolffhardo Hasenrietano, qui sanctos VVillibaldum, VVunibaldum & VValpurgã vocat Saxonicæ arboris ramos *seu* surculos: *Quod verum non esset, si Richardus fuisset Sueuus, non Anglus, seu AngloSaxo. Et argumentum, quod ab insignibus Ducum Sueuiæ & Regum Angliæ ducitur, ad tantam rem probandam nimis tenue & exile est: Quis enim pro certo talium insignium originem asserat, cùm in Angliâ plures diuersi Reges fuerint tunc, quando in illâ Richardus vixit. Et cuius tandem ex eorum numero, hoc stemma proprium fuit? Quomodo etiam Regno paulatim ad vnum Monarcham delato, hoc insigne præ omnibus aliis placuit, & ad Monarchiam transiit; vt taceam, similitudinem si qua est inter insignia Regum Angliæ, & Ducum Sueuiæ, fortuito, non consulto consilio accidere potuisse; quam fortuitam conuenientiam in multis aliis insignibus; etiam hoc æuo, spectare licet. Sed de his suum cuiq; iudicium liberum esto.*

Ego S. Richardum Regem fuisse non inficior; at genere, non administratione; titulo, non officio; & sic primum nobilitatis gradum tenuisse; Nam & Balæus, Centuria secunda scriptorum Britanniæ, palam scribit, VVillibaldum ex Illustribus Orientalium

lium & Occidentalium Saxonum familiis progeneratum esse. Quod maximè verum erit, si mater S. Richardi Offa seu Offonis Regis Orientalium Saxonum soror fuit, vt est in Epitaphio, seu Breuiculo vitæ S. Richardi. Cognatus S. VValpurgis fuit S. Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus, & Germaniæ Apostolus, vtpote frater Bonnæ seu VVunnæ, vxoris S. Richardi, vt habet veterum traditio, de qua legendus Serarius, lib. 3. Rerum Moguntinarum, Notatione secunda. In cognatis S. VValpurgæ numerantur etiam S. VVilibrordus, Episcopus Vltraiectensis; S. Burckhardus, Episcopus Herbipolensis; S. Deodatus Episcopus & Martyr, & S. Sola Abbas, à cuius Monasterii nomine dicitur hodie pagus in Marchionatu Anspachensi duabus paruis leucis Eystadio dissitus, Sulenhouen, vbi adhuc hodie exstant Templi d. Monasterii vestigia, in vsum profanum Lutherana confusione conuersa, &c.

NOTATIO IV.

QVANDO S. WALPVRGIS EX ANglia in Germaniam venerit.

D*E discessu S. VVillibaldi, S. Wunibaldi & S. VValpurgis ex Anglia in Germaniam, varii nodi, nec facile solubiles occurrunt propter discrepantia veterum dicta. Nam, vt iam omissa nonnihil S. VValpurga, de solis VVillibaldo & VVunibaldo loquar, de eorum in Germaniam aduentu ita scribit Marcellinus in vita S. Svviberti*; Elegit S. Egbertus præsul, & congregauit instar duodecim Apostolorum, duodecim Apostolicos viros, in fide constantes, ex diuersis Monasteriis, ad prædicandum Germanis Catholicam fidem. Fuerunt autem hi missi Willebrordus, Suuibertus, Arcas, Vuigbertus, Vuillibaldus, Vunibaldus, Lebuinus, duo

Tom. 2. Surii.

Euual-

Euualdi, Vuerenfridus, & ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc historiam, sicut & sancti Vuillebrordi, conscripsi. Omnes præfati presbyteri & Sacerdotes fuerunt, ac sanctissimus Adalbertus Leuita, filius Regis Deirorum, qui pro Christo dimittens Regale patrimonium, cum prædictis electus à S. Egberto, amore Christi peregrinum non recusauit exilium. Et quoniam hi sancti Doctores propagati fuerunt in Anglia, de stirpe Frisonica, & Saxonica; ideò conuenienter prædicare potuerũt Euangelium Christi in lingua Germanica: Quorum aliqui postmodum palmâ martyrii coronati fuerunt. Alii prædicationibus continuis inter Barbaros, vsque ad obitum institerunt. Alii vacantibus Episcopiis subrogati fuerunt, vt infra patebit. Igitur præparatis omnibus, quæ tantis viris necessaria videbantur, mox præfati duodecim egregii Dominici gregis arietes, salutatis amicis & parentibus, accepta benedictione tam eximii Archiepiscopi, supernâ comitante clementiâ, prospero vento celeriter in Vuiltenburg, siue Traiectum aduehuntur, Anno scilicet ab incarnatione Domini sexcentesimo, nonagesimo, Pontificante Romæ Apostolico viro sancto Sergio Papa, anno suo tertio; imperante piissimo Imperatore Iustiniano, ac regnante in Angliâ glorioso Alfrido, rege NordHumbrorum. *Hæc Marcellinus, qui vidit quæ scripsit: imo missionis huius ex Angliâ in Germaniã, auspiciis S. Egberti pars fuit.*

Othlonus, qui res gestas S. Bonifacii in literas retulit, longè aliter de aduẽtu S. Willibaldi, S. Wunibaldi & S. Walpurgis scribit. Ait n. euocatos esse à S Bonifacio, cùm ipse tanta messi, quãta vbiq; sese offerebat, demetenda non sufficeret: Et hanc euocationem refert Baronius ad Annum Redemptoris 725. Sed redeamus Cap. 30.

damus ipsa Othloni verba: Prædicans & baptizans ſanctus Præſul Bonifacius in Thuringorum, & Heſſorum regionibus, perſpexit meſſem quidem eſſe multam ibi, ſed operarios paucos, ad copioſam multitudinem credẽtium inſtruendam. Vnde in prouinciam, patriamq́; ſuam mittens, exinde tam fœminas, quàm viros religioſos, ſcientiâq́; variâ imbutos, plures venire fecit, ſuiq́; laboris onus inter eos diuiſit. In quos erant præcipui quidem viri, Burchardus & Lullus, Willibalt & Wunibalt frater eius, Witta & Gregorius; fœminæ verò religioſæ, matertera ſcilicet S. Lulli, nomine Chunihilt, & filia eius Berathgit, Chunidrut & Tecla, Lioba & Walpurgis, ſoror Willibaldi & Wunibaldi. Sed Chunihilt, & filia eius Berathgit valdè eruditæ in liberali ſcientiâ, in Thuringorum regione conſtituebantur magiſtræ, Chunitrud in Bogoatiam deſtinata eſt, vt verbi diuini ſemina ibidem ſpargeret: Tecla verò iuxta fluuium Moin, in locis Kichhingen, & Ohſnofrutt nuncupatis collocauit: Liobam quoq; ad Biſcofeſcheim, vt illic multitudini Virginum congregatæ præeſſet, conſtituit. *Hæc Othlonus. Ex cuius verbis ſi numerum ineas, intelliges hanc poſteriorem euocationẽ priore illâ miſſione eſſe poſteriorem, de qua Marcellinus, triginta quinque annis. Et ne ſuſpiceris alios eſſe VVillibaldum & VVunibaldum Marcellini, & alios, de quibus Othlonus; diſertè ait Marcellinus VVillibaldum* Aureatenſem, *ſeu* Eychſtettenſem *Epiſcopum, & VVunibaldum Abbatem* Heidenheimenſem *creatum eſſe, eorumque ſororem fuiſſe VValpurgam.*

Adhæc, monumenta, quibus Tomo IV. Antiquæ lectionis, vita & res geſtæ S. Willibaldi, *S.* Wunibaldi, *& S.* Walpurgis *enarrantur, non ſatis cum prædictis conſonare videntur. Tradunt*

dunt enim S. Richardum impulsu filiorum Willibaldi & Wunibaldi, patriam susceptâ peregrinatione reliquisse, perq; varia discrimina in Italiam peruenisse, Lucæ in Hetruria siue Tuscia extremum diem clausisse, ibiq; à filiis tumulatum esse: Filios deinde Romam perrexisse, sacra loca religiose lustrasse, Willibaldum quoque Hierosolymam nauigasse, Wunibaldo ob grauem ægritudinem Romæ subsistere coacto. Interea S. Bonifacium, cum Romam venisset, Wunibaldum, Pontifice annuente, secum in Germanicam messem abduxisse; non sine precibus, vt eodem destinaretur Willibaldus, quàmprimum ex Oriente remeasset: Et hoc eidem non tam liberaliter promissum, quàm postea præstitum; Willibaldo ad S. Bonifacium in Germaniam profecto, cum incredibili animarum lucro, multis millibus ab idololatriâ ad Christianam religionem traductis. Nec desunt, qui S. Walpurgam cum ipso patre suo, & fratribus ex Angliâ peregrinatum discessisse credant. Sed verisimilius est, quod alii prodiderunt; euocatam fuisse à fratribus in Germaniam, non nisi post aliquot annos, matre iam defunctâ. Nec solam, sed cum aliis, vt præesset fœminis, quæ vitam Monasticam complectebantur; quod præter alios tradit Philippus in Actis S. Walpurgæ, habeturq; in eo, quem iam damus, Commentario. De his porro fœminis, ex Angliâ in subsidiũ Germanicæ nouellæ vineæ accersitis, ita Illustriss. Card. Baronius, Tom. IX. Annalium, Anno Christi 725. Cùm omnes istæ (*fœminæ ex Angliâ in Germaniam euocatæ*) egregiâ claruerint sanctitate, trium quoque ipsarum nomina inter Sanctos, in Ecclesiasticis tabulis reperiuntur esse relata, Theclæ videlicet, Liobæ, atque VValpurgis, quarum res gestæ scriptis mandatæ leguntur; Liobæ videlicet atque VValpurgis; Liobæ iussu Rabani, à Rodulpho eius discipulo, & VValpurgis, siue VValpurgæ à VVolfhardo Monacho quàm fidelissimè scriptæ,

qui, & à quibus Angliæ Monasteriis fuerint hæ petitæ, narrant.

Ex his ergo apparet, de SS. VVillibaldi & VVunibaldi, atq; adeò ipsius VValpurgæ ex Angliâ discessu, rem satis impeditam & implicatam esse, nec facile explicandam propter illa, quæ Marcellinus scribit. Sed nos vitatis salebris, planiorem viam sequemur, quam nobis monumenta Ecclesiæ Eychstadianæ præeunt. Nam Anno Domini 745. Episcopus Eychstettensis consecratus est S. VVillibaldus; ætatis suæ, vt dicitur in Hodoeporico VVillibaldino, Anno 41. seditq; in Episcopatu 36. annis: mortuus anno Domini 781. vt habetur in Authentico Eychstadianæ Ecclesiæ Manuscripto Codice. Verum hoc; & idgenus alios innodatos nodos, aliis enodandos relinquimus.

NOTATIO V.

DE OLEO QVOD MANAT EX RELIquiis S. VValpurgæ, potissimum ex pectoralibus.

T*Estes huius rei sunt Philippus, & qui Epitomem vitæ VValpurginæ ex Philippo confecit; vt alios prætercam: qui enim dubitat, ille veniat, videat & sensibus non alienis, sed suis credat. Oleum verò hoc quàm multis salutare accidere, & quæ mira in eo cernere ac admirari liceat, disces similiter ex Philippo, qui ita scribit:* De membris eius (*S. VValpurgis*) Virgineis, maximè tamen pectoralibus, sacrum emanat Oleum, quod gratiâ Dei, & intercessione B. Walpurgæ virginis, cæcos illuminat, surdos audire facit, & gressum claudis reddit, cunctisq; debilibus optatum effectum deuotè petentibus misericorditer indulget. *Ad cuius rei confirmationem, non tam alios, quàm semetipsum testem adhibens, subiicit:*

cit: Quam etiam gratiam curationis ipsi experti sumus. Nam graui infirmitate ægrotãtes, ad excidium vitæ peruenimus: & rememorantes gratiam, quam B. Walpurgis suis dilectoribus indesinenter ostendit, præcepimus de Oleo suæ sanctæ emanationis nobis copiosius afferri, & desiderabili haustu phialam plenam ebibimus, orantes in hæc verba: O B. Walpurga virgo, ob reuerentiam S. Willibaldi fratris tui dilectissimi, cuius successor indignus sum ego Philippus peccator, interpella pro me ad Dominum pro conditione peccatorum meorum, & vt respirem à grauamine huius ægritudinis, ad laudem Dei omnipotẽtis, & intemeratæ matris eius virginis Mariæ. Vt quid plura? Eadem die creticauimus, & breui post in tempore sanitati omnimodè restituti sumus. *Hæc de SS. Olei virtute & efficacia Philippus: quam etiam hodie experitur primus nouæ Ecclesiæ parochialis S. VValpurgis iuxta Leodium Parochus. Siquidem datis huc ad me literis fatetur ipse, hunc SS. liquorem ex Germania Leodium transmissum, non modò sibi, sed & aliis nonnullis ægris cum inuocatione S. VValpurgis virg. applicatum; pristinæ sanitati se & alios eiusdem virtute restitutos fuisse.*

Mirandis illud accenseas, quod tempore Interdicti, vel patrato aliquo in Monasterio S. VValpurgis piaculo, oleum fluere desiit. De interdicto testatur his verbis Philippus: Ex scriptis etiam colligimus, & certa relatione fide dignorum intelleximus, quod Ciuitas Eystettensis vnà cum tota diœcesi, Ecclesiastico interdicto quodam tempore supposita fuerat, propter quasdam damnosas iniurias, quas Episcopus, qui tunc præerat, à Baronibus terræ & incolis sustinuit. Ex tunc liquor sacræ emanationis stillare cessauit vsque in diem, qua Ecclesia restituta esset indemni-

tati. Et idem venerabilis Episcopus cum vniuersitate Ciuitatis, indicto ieiunio, nudipes & absq; lineis ad Monasterium B. Walpurgis ascendit, deuotè ac subnixè cum vniuersitate populi sui supplicans, ne effectu tantæ benignitatis, sicut est emanatio sacri liquoris, in amplius Ciuitas priuaretur. Et accedens ad altare dictus Pontifex, Missarum solennia astante populo deuotè peregit, & in confectione Sacramenti & eiusdem perceptione, sacratissimus liquor, quo intra spatium vnius anni nequaquã distillauerat, nec vllo modo se ostenderat, adeò abundè erupit, vt ampulla dimidiæ pincę capacitatis, vel vnius serici adimpleretur. Quod Pontifex videns cum plebe Deo deuota, plusquam narrari potest gaudio repletus, immensas gratiarum actiones Deo, & B. Walpurgæ, pro concessione tanti beneficii persoluit. *Hæc ille. De crimine, Henricus Rebdorffensis, in Annalibus, his verbis.* Anno 1358. Dominica in medio Quadragesimæ, quæ fuit 11. Kal. Aprilis, fures de nocte intrauerunt Monasterium S. Walpurgis Eystettensis, & cum Campanarius eiusdem tardè intraret ad deponendũ se in loco, irruunt fures in ipsum, velatâ facie volentes eum occidere: qui se defendit. Fuit in Monasterio grauiter vulneratus: propter quod stillicidium de Reliquiis B. Walpurgis consuetum manare cessauit per quatuor septimanas, vel circa, & post octauas Paschæ, appropinquante festo eiusdem Virginis, manauit vt ante. *Admiratione etiam dignum est, quod notat Philippus, videlicet idem sacrum Oleum tanta mundicia & meracitatis existere,* vt sine omni corruptione, & fœda maculationis feculentia per ducentos annos seruatum, cõsimilis puritatis inuenitur cum illo, quod hodierno die de stillicidio eiusdem sacræ emanitionis susceptum est.

Porrò eandem gratiam multis Sanctorum corporibus &

Reli-

Reliquiis concessit DEVS; *Ex quibus primum locum teneat S. Andreas Apostolus. Secundus sit S. Nicolaus. De vtraq; vide Baronium, vt & de aliis plerisq;, quos commemoraturus sum. Tertius S. Theodorus Trichinas, cuius memoria XX. Aprilis colitur. Quartus S. Demetrius Thessalonicensis Martyr (de quo Martyrolgium Romanum 28. Octobris) quem Græci per excellentiam μυροβλύτην, quasi* vnguentorum fusorem *vocant. Quintus S. Euthymius Abbas, ex cuius sepulchro oleum manans sanat morbos. Vide vitam eius Tomo 1. Surii. Sextus sanctus Becharius Abbas, ex cuius sepulchro fluxit Oleum variis morborum generibus conducibile. Vide Surium, Tom. 5. Septimus sit S. Samson, ex cuius sepulchro salutaris liquor promanat. Vide Tom. 3. Surii. Octauus sit S. Eligius, ex cuius linteo, qua teca Reliquiarum tegitur, humor pellendis morbis perquam efficax stillat. Exempla morborum depulsorum reperies in eiusdem Sancti vita, Cap. 31. 40. 51. & 58. Nonum locum teneat* S. *Ioannes Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, ex cuius corpore oleum, seu vnguentum ebullit, vt est in vitis Patrum, libro primo; vbi dicitur, multa huius generis corpora in Cypro reperiri: Ioannes enim in Cypro sepultus erat. Decimus sit S. Quirinus Tegernseensis, cuius oleum Bauaris non est ignotum. Vndecimus sit S. Laurentius presbyter, & Martyres pueri, quos educandos susceperat; ex quorum lipsanis medicus liquor stillare consueuit. Consule Baronium, in Martyrologio Rom. 30. die Aprilis. Duodecimam stationem obtineant quatuor milites Martyres, ad Melitenen Armeniæ, quorum lipsana temporibus Iustiniani Imp. reperta sunt, de quibus isthac Procopius, lib. 1. de ædificiis Iustiniani, qui eo ipso tempore, quo sacræ Reliquiæ inuentæ sunt, graui cruciatu ex humore in pedes delapso affligebatur:* Igitur postquam discum Reliquarum Sacerdotes genu Regis imposuerunt, euanuit dolor, corporib. quæ DEO seruierunt cedens. Quod profecto DEVS nolens esse dubium,

bium, magnum signum ostendit eorum, quæ acta erant. Nam ex sanctis illis Reliquiis subitò oleum manauit, & arculam perfundens, pedes & totam purpuream vestem Regis imbuit & humectauit. Quamobrē vestis hoc modo humectata asseruatur in Regiis receptaculis, in eorum quæ tum facta sunt testimonium.

Decimus tertius sit Adolescens quidam Ægyptius, qui abnegato Christo ad Saracenos transierat: Sed seria pœnitentiâ ductus, detestabile suum facinus palàm execratus est: Et ideo, abscisso capite, nobili Martyrio coronatus. Ex cuius sacro capite odoriferum semper vnguentum scaturit, multis ægritudinibus admodum salutare. Idem XIV. *scribit de corpore* S. *Matthæi Apostoli Marsilius Columna, Archiepiscopus* Salernitanus, *in libro de vita & rebus gestis* S. *Matthæi.*

Idem XV. *de corpore* S. *Felicis Nolani prodidit Ambrosius Leo, lib. secundo, de situ Nolæ. Quibus* XVI. *Philippus in vita* S. Walpurgæ, *sub finem annumerat Gundeckarum Episcopum Eystettensem.*

Viris sanctis adiungamus sanctas fœminas I. *cui oleum* S. *Catharinæ virginis & Martyris non est notum?* II. *de sanguine simul & vnguēto ex Reliquiis* S. *Euphemiæ virginis & Martyris Chalcedone fluentis, mira inuenies apud Theophylactum* Simocattam, *lib.* 8. *historiæ Mauricianæ, & Nicephorum, lib.* 15. *cap.* 13. III. *sit sancta Glyceria Martyr Heracleæ, de quâ iam nominatus* Simocatta *memorabile quid prodidit, dignum quod ad multorum cognitionem perueniat, præsertim cum concha, in quam ex sacro corpore oleum desluebat, aliquam similitudinem cum concha* Walpurgina *habeat. Erat igitur Paulinus magus quidam, cui peluicula ex argento, quâ hostiarum, quas Dæmonibus immolabat, sanguinem excipere solebat.* Hanc pretio vendit argentarius; emptam illi præ foribus domunculæ suæ

vena-

venalem proponunt. Eo ipso tempore Antistiti Heracleæ (quæ olim dicta est Perinthus) Byzantii commorari necesse erat. Is venditionis caussâ fortè suspensam malefici peluim conspicatus, eam percupidè mercatur, & ad sedem suam reuertitur. Quia verò diuinitus stillans vnguentum siue oleũ de ossibus S. Glyceriæ Martyris ænea peluis etiamnum excipiebat, Episcopus rei tam venerandæ reuerentiâ contactus, vascula commutat, & à cultu sacratissimo æneum remouens, argenteum cœlesti stillicidio supponit. Ex eo operum mirandorum riuus desinit; fons gratiæ euanescit; non prodit publicitus vim suam Martyr; beneficium retrahit; donum aufert; sibiq; legem indicit, propter detestandum excipulum, vnguento inposterum non scaturire. Sanè quod purum est, non debet impurum contingere; vt aliquid externæ eruditionis narrationi commodè interseram. Hoc cum diebus compluribus euenisset, calamitatemq; rumor per Ciuitatem dissipasset, Episcopus sese in luctũ dat, & quod fiebat, lamentatur: effectorum supra naturam interruptionem deplorat; donum reposcit; detrimentum non sustinet; caussam indagat: dedecus indignatur: Ecclesiaq; re tam admirabili viduata, vitam sibi vitalem non putat. Igitur ieiunia & comprecationes instituuntur; profunduntur lacrymæ; ducuntur gemitus; totæ noctes in DEO suppliciter rogitando ponuntur: cõiunguntur q; omnia, quæ iram eius conuertere in misericordiam possint. Cum itaq; DEVS, & execrandum illud scelus iure auersaretur, & ignorãtiam iustè miseraretur, Episcopum de abominandis sacris in pelui illâ factitatis per quietem monet. Ille nil moratus, peluim argenteam templo subducit, illatamq; in medium æneã, perinde vt castam & antiquam famulam, & virginem aliquam incorruptam pro execrãda præstigiatrice, venerabili mo-

numento rursum subiicitur. Statim sese miracula denuò effundunt, oleum depluit. beneficium scaturit, donum profluit, lacrymæ inhibentur, luctus præciditur, tristitia fugatur, piaculumq; detestabile perinde vt in columna incisum cognoscitur ab omnibus, & peluis ænea postliminio gloriam suam recuperat. Paratus est enim DEVS tribuere misericordiam piè supplicantibus. Episcopus in vrbem Imperialem reuersus, venditoreq; peluis illius ab argentariis exquisito & inuento, ad Ioannem Patriarcham adit; rem totam à capite arcessens ei commemorat. Patriarcha exclamare indignũ facinus, auresq; auertere; è vestigio in palatium abire, & sibi cognita Imperatori nunciare. *Hactenus Simocatta.*

IV. S. Glyceriam subsequatur S. Hermione filia Philippi Diaconi, Ephesi sepulta: Ex cuius sacris lipsanis oleum seu vnguentum scatebat: quod virgo quædam Ephesia diligenter colligere, & variis languoribus curandis adhibere solebat, inde Myropes nomen tulit, vt est in Menæo Græcorũ die III. Decembris.

V. Cùm Anno Christi 1236. corpus B. Elisabethæ Landgrauiæ, Marpurgi in Hassia, incredibili populi accursu transferretur, ibi, præter multa miracula, oleum de sacro corpore effluxit; quod religiosis viris Basilicas & altaria in honorem Beatæ viduæ Elisabeth constructuris, per fratres Hospitalis Teutonicorum est piè & sagaciter distributũ, *vt est apud Godefridum Monachum in Annalibus.*

VI. Prædictis adde Heduuigem Poloniæ Ducissam, de qua Surius, Tom. 5. Et tandem VII. Matrem Teresam, à IESV, fundatricem Excalceatorum, de qua hæc in eius vitâ: Ab hoc venerabili corpore egreditur assiduè liquor quidam, ad modum olei, vel balsami, tantâ abundantiâ, vt priusquã illud ex sepulchro extraxissent, terram capsæ, in qua positum fuerat, proximam penetraret: qui etiam egreditur à quouis carnis frustulo, quamuis à prædicto corpore di-

rè di-

re disiuncto. Quod oleum collectum fuit in multis pannis, quibus mediantibus DEVS multa miracula operatus est, in confirmationem, quod sit oleum præter vel supra naturalem rerum ordinem fluens. Et hoc in vniuersâ Hispaniâ fuit, & est publicum, & notorium.

Huius verò gratiæ quibusdam duntaxat Sanctis concessæ significationem indagans Philippus, id totum ex speciali prærogatiua meritorum, & ostensione magnitudinis præmiorum contingere dicit, hæc quæ sequuntur subiiciens: Iuxta quod sciendum, quod oleum cuicumq; liquori infusum supernatat: vnde misericordiam ex similitudine designat: superexaltat enim misericordia iudicium. Et item: Misericordia eius super omnia opera eius. Oleum nihilominus magnæ est leuitatis, & multæ vtilitatis: Nam illuminat, pascit, & sanat. Sic pietas, secundum B. Apostolum, ad omnia proficienda valet; Habet enim promissionem vitæ, quæ nunc est, & vitæ futuræ. Hinc etiam est, quod oleum cordialem pietatem sua proprietate exprimit: & ideo de Sanctorum corporibus sacri olei emanatio plenitudinem exuberantis misericordiæ, ac redundantiam viscerosę pietatis, ac lenitatem mititatis præostendendo figurat. Fuerunt namque hi Sancti, qui habent scaturiginem emanationis sacri olei, misericordissimi ac piissimi in vita; & ideo misericordiam consecuti, per signa misericordiæ, & pietatis hominibus post mortem laudabilé innotescunt. Sic B. Walpurgis virgo, tanquam oliua in domo Domini fructuosa, & quasi oliua in campis Ecclesię speciosa, per oleũ effusum dilatauit nomen suũ. Riuulo enim suæ sacrę emanationis notitia sanctitatis eius deriuata est in fines terræ. Oleo misericordiæ & pietatis illuminans cæcos spiritualiter & corporaliter pascens esurientes in bonis per affectum sancti desiderii; ac

corpore sauciatos sanans contritis corde medetur. *Hæc suum Commentarium finiens Philippus.*

NOTATIO VI.

DE RELIQVIIS S. WALPVRGÆ PER varias mundi partes diuisis.

Reliquias S. VValpurgis per varias mundi partes dispersas fuisse, testis est Epitomator noster. Dua tamen Reliquiarum eius portiones inter cæteras eminent; quarum altera est, quæ obtigit Liubilæ Abbatissæ Menheimensi; per quam quæ & qualia miracula DEVS *patrauerit, VVolffhardus quatuor suis libellis, quos hic damus, fusè satis explicat. Altera est illa, de qua in Sanctorum Belgii Indiculo isthæc Molanus:* S. Walpurgis, & fratrum eius Willibaldi & Winiboldi Reliquiæ allatæ sunt ex Germaniâ anno octingentesimo septuagesimo, per Balduinum Ferreum Comitem, & magno cum honore Furnis repositæ, instituto ad id Monasterio S. Benedicti, quod nunc est Canonicorum Collegium. Est autem Furnense oppidum in Flandriâ, diœcesis Iprensis. Willibaldus fuit per Bonifacium Germanorum Apostolum institutus primus Episcopus Aureatensis, siue Eistetensis. Vuiniboldus & Walpurgis in eadem diœcesi in monasticâ vitâ laudabiliter præfuerunt. Sed potissima S. Walpurgis portio habetur Aeichstadii in Monasterio S. Walpurgis, vbi adhuc hodie ex eius corpore oleum in subiectum argenteum vas miraculosè defluit, quod multis grauibus morbis medetur. Eleuata est, & Sanctis adscripta, circa annum octingentesimum septuagesimũ per Odogerum Episcopum Aeichstadensem, consensu Adriani secundi, & ex Heidenheim, vbi prima fuit Abbatissa, ad dictam vrbem translata. *Hæc Molanus; qui insuper ad primum diem Maij, hæc notat:* Furnis translatio Reliquiarum Walpurgis, Willibaldi, & Winibaldi, Anno mille-

millesimo centesimo nono. *Ergo Reliquiæ istæ in oppido Furnis, successu temporis vel ad alium, vel ad honorificentiorem locum translatæ sunt: cuius translationis memoriam Furnienses Kalendis Maij recolunt: Etsi alii alio titulo eandem diem eidem virgini consecrarunt, vt postea audiemus.*

Ex his liquet impudenter & inscienter illos facere, qui totum corpus S. VValpurgis in Flandriam deportatum aiunt. Absit hoc: quia verum non est: nec affirmatur à Molano. Et vt affirmaretur, perperam affirmaretur: quia potissima eius pars Eichstadii requiescit, fluxu olei admodum memorabilis & spectabilis. Verum alâs quoq; & alibi contigit, vt si cui Ecclesiæ vel Monasterio pars de corpore alicuius Sancti obuenisset, postmodum rerum vetustate tenebras & oblinionem inducente, pro parte totum corpus se possidere gloriarentur. Quæ caussa est potissimum fundamentum eius conduplicationis vel multiplicationis Reliquiarum, quam Hæretici suauiter quidem, sed prorsus insipienter ridere solent.

NOTATIO VII.

DE FESTIS S. WALPVRGÆ.

A*Liquot festa celebrantur in honorem S. VValpurgis Virg. partim in ipso Monasterio S. VValpurgis, partim extra in Diœcesi Eicstadiensi, & alibi. Primum est festum obitus:* Obiit *enim S. VValpurga in Februario, postridie S. Matthiæ Apostoli, hoc est, 25. die eiusdem mensis. Quo die etiam in Calendario & Breuiario Eychstettensi obitus S. VValpurgæ consignatur, & celebratur. Quocirca mirandum est, quid in mentem venerit Arnoldo VVioni, lib. 3.* Ligni vitæ: *vbi ab hac die nostram VValpurgam excludit, & obitum eius ad 27. Aprilis refert. Quæ omnia monumentis Ecclesiæ Eychstadianæ aduersantur. Fuerit alia quædam VValpurgis virgo, sanctitate circa Annum Domini 840. celebris, soror Luthardi, tertij Episcopi Padebornensis, fundatrix Monasterii Hersuuerdensis, quæ animã* DEO *hac die red-*

diderit: At id fiat saluo iure nostræ VValpurgæ, quam, vt dixi, postero die S. Matthiæ Apostoli, relictis terris, cælos petiisse certum est.

Alterum est festum Canonizationis, primo die Maij, quādo B. VValpurga solenni & publico ritu inter cælites relata est. Quod factum est Romanam Ecclesiam Adriano II. Pontifice gubernāte, circa annum Saluatoris 870 sub Ogkero seu Ogkario sexto Episcopo Eychstettensi; sub quo sacra lipsana B. VValpurgis ex Heidenheimio Eychstadium translata sunt: Card. Baronius in Annot. ad Martyr. dicit, in Anglicana Ecclesiâ de S. Asapho Episcopo & B. VValburge Cal. Maij agi; licet Beda, eodem ipso referente, D. VValburgis tantum fieri mentionem, subiiciat.

Tertium est festum exitus B. VValpurgis ex Angliâ. Celebratur die quarto Augusti.

Quartum est festum Translationis B. VValpurgæ Heidenheimio Eychstadium. Agitur 12. die Octobris, vbi tribus diebus apertum est sepulchrum S. Virginis, vt miraculum stillantis olei oēs coràm intueri & venerari possint. Nec celebratur hæc Translatio in aliis Ecclesiis Vrbis & Diœcesis Eycstettensis; sed in solo Monasterio S. VValpurgis, vt dicitur in Breuiario Eychstettensi. Cùm autem VVolffhardus Tom. 4. Canis. disertè dicat; Translationem S. VValpurgis ex Heidenheim factam esse XI. *Kal. Oct., hoc est,* XXI. *die Sept. quo S. Matthæi Apostoli anniuersaria memoria colitur, necessariò dicēdum est, annuam memoriam huius Translationis in* XII. *diem Octobris reiectā fuisse; nisi fortè Moniales S. VValpurgæ non celebrēt Translationem ex Heidenheim Eychstadium, sed aliam: sæpius enim sacra lipsana S. VValpurgis translata sunt. Hæc de festis ex veteri quodam libro, ad cuius calcem enotata erant, excerpsimus. Vbi non prætereundum, Philippum Episopum in Historiâ S. VValpurgis, Tom.* IV. *Canisii, non iniuria censeri posse quasi confundat Translationem S. VValpurgis, sub Ockario* VI. *Episcopo, ex Heidenheimio Eychstadium, cum illâ, quæ multis post annis contigit sub Herberto, seu Heriberto decimo-*

decimoquinto eiusdem Sedis Antistite; quando sacra lipsana S. Virginis, ex loco humiliore Templi VValpurgini translata sunt in eum locum, vbi hodie quiescunt, inclusaq́ summo altari: quo tempore idem Præsul Monasterium S. VValpurgæ, adiutus à Lechsmundiano quodam Comite, prædiis & annuis prouentibus insigniter locupletauit.

VVolffgangus Lazius, lib. 7. de migrat. gent. in Boijs tradit Anno Dom. 981. Cœnobium S. VValpurgi in agro Eystadiano à fundamentis construxisse quendam Leodegarium Comitem de Gaispach & Lechsmundt. Quod quidem VValpurginum Cœnobium existimare quis posset non aliud esse, quàm quod in Vrbe Eystettensi iam visitur ab Ockario siue Odgero VI. Eystettensi Episcopo circa Annum Dom. 870. fundatum. Nam scribit Bruschius, idem Monasterium ab Heriberto Episcopo ampliatum & auxilio Leodegarii Comitis de Lechsmund liberalissimè donatum & quasi de nouo fundatum: Sed in annis non conueniunt hi authores. Heribertus siquidem in Episcopum electus Anno Dom. 1021. d. Monasterium vnà cum prædicto Comite dotauit Anno Dom. 1034. temporibus Imp. Conradi II. vt testatur Bruschius. Atqui Lazius suum Monasterium exstructum dicit Anno Dom. 981. multo ante Heribertum. Aut igitur hi authores hallucinati sunt, aut diuersa Monasteria in agro Eystadiano D. Walburgi dedicata fuerunt.

Nec Eycstadij tantum, sed & alibi in honorem S. Walpurgis Monasteria condita sunt; Ex quibus est vnum vetustissimum illud in Thuringiâ de quo historia de Landgrauiis Thuringiæ, cap. 7. Sub quo, *(Ludouico Landgrauio)* Comites de Keuernberg terræ Thuringiæ Monasterium prope Wasserburg in honorem S. Walpurgis construxerunt sub Anno Dom. 925. quod postea translatum est in oppidum Arnstat. *Adde etiam Furnense illud Cœnobium in Belgio, in quo per Balduinum Ferreum Comitem Sacra D. Walpurgis lipsana ex Germania translata, magno cum honore reposita fuerunt Anno*

Domi-

Domini 870. quemadmodum ex Indiculo SS. Belgii supra not. 6. annotauimus. Item insignem illam Abbatiam S. Walpurgis in Alsatia, prope Hagenouuam, de qua Brusch. Cent. 1. Monast. Lib. 11 de migrat. gent. *Germ. Deniq; testatur supra cit. Lazius, à Theodorico quodam Comite Montis Belgardi, vulgò Mimpelsgardt hodie sub ditione Principis Wirtembergici, Cœnobium S. Walpurgis in foresto supra Strasburgum Anno Domini 1074. fundatum. Hæc de Monasteriis in honorem D. Walpurgis ædificatis: templa v. sacella & altaria in eius honorem erecta nullus enumerauerit.*

Addamus & hoc: S. Walpurgam monumenta quædam ingenii sui reliquisse. Nam ea citat Philippus: inter quæ probabiliter numeratur Hodæporicum S. Willibaldi, & fortè vita S. Wunibaldi: de quo videndus D. Canisius, Tom. IV. Antiquæ lectionis.

Nec quemquam moueat, quod in libellis Miraculorum, percensentur quædam, satis, vt primo intuitu apparet, exilia & minuta. Nam DEVS *in omnibus operibus suis, etiam paruis magnus; imo æquè magnus est. AEquè enim magnus est in formica, ac in Elephante; æquè magnus in culice, ac in camelo; quia nihil horum, nisi ab Omnipotente illâ dexterâ condi, creariúe potuit.*

Et hic finis esto Notationum. Si quid aliud paullò obscurius, præcipuè in vocabulis, occurrerit, id ad marginem annotatum, & explicatum inuenies.

FINIS.

W